TRIAS
DISSERTATIONUM
PHYSICO-MEDICARVM
CHOROGRAPHIAM MEDICAM
POTISSIMVM SPECTANTIVM,

QVARVM

I *De Aëre, Aquis & Locis Lipsiensibus*
II *De Salubritate Silesiæ,*
III *De Incolatus montani Salubritate*

INSCRIBVNTVR,

QVÆQVE IN ILLVSTRI
ACADEMIA LIPSIENSI
PVBLICE QVONDAM HABITÆ
SVNT

AUTHORE & PRÆSIDE

CHRISTIANO MICH. ADOLPHI,
Philosoph. & Medic. Doctore, Facult. Med. Assessore, S. R. I.
Academiæ Nat. Curios. Collegâ, B. M. V. Coll. Collegiato,

JAM IN HVNCCE FASCICVLVM COLLECTÆ.

LIPSIÆ,
SVMPTIBVS JOH. CHRISTIANI MARTINI
M DCC XXV.

TRIAS

DISSERTATIONUM

PHYSICO-MEDICARUM

CHOROGRAPHICAM MEDICAM

POTISSIMUM STRICTIM TANGENTIUM

QUARUM

I. De Sectione Aquosa Capitis Lipsiensium

II. De Subterranea Urbis Lipsiae

III. De Insolitis montium Subterrae

INSCRIPTARUM

QUAS

IN ILLUSTRI

ACADEMIA LIPSIENSI

PUBLICE VENDICANT AUCTORES

SUB

PRAESIDE

CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI

Philosophiae & Medicinae Doctore, Professore Publico, Societatis Regiae Scientiarum Londinensis Collegae, Academiae Caesareae Naturae Curiosorum Collegae, & Archiatro Electorali.

PARS IV. PHYSICE PRACTICAM COLLECTA.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS JOH. CHRISTIANI MARTINI.

M. DCC. XXX.

I.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE AERE, AQUIS ET LOCIS LIPSIENSIBUS,

IN

ILLUSTRI ACADEMIA LIPSIENSI

PUBLICE HABITA

DIE II. APRIL. AN. MDCCXVII.

H. L. Q. C.

AUTORE & PRÆSIDE

D. CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI.

PROOEMIUM.

EXploratum est atque manifestum, pro vario cœlo variam esse hominum naturam, variam sanitatem & vitam, varios morbos, imo mores quoque varios. Magni ideo interest, quali aëre fruamur, puro tenui, sereno, & salubri valemus, reficimur, atque gaudemus, ab impuro crasso, inconvenienti languore afficimur & ægrotamus. Quodsi autem aëris, qui in nullo loco est qui in alio, consideratio adeo sit necessaria, optandum omnino esset, ut jucundum pariter atque utilissimum hoc studium â curiosis naturæ & medicinæ indagatoribus ulterius ex dignitate investigetur, promoveatur, amplietur, ita futurum esset speramus, aërologia ut perficiatur magis, & Chorographia medica instauretur, quæ ab H. VELSCHIO, in Somn. vind. & LINDENIO, in manuduct. ad med. inter desiderata medica merito adhuc reponuntur. Medico itaque hic labor, hoc opus sit, imprimis certo in loco medicinam facienti, ut secundum ipsius Hippocratis ductum exacte consideret aërem & affectiones potissimum ejus perspectas reddat sibi, quomodo ille se habeat pro urbium & locorum situ, telluris & aquarum indole, atque pro diverso solis & ventorum accessu & recessu, &c. ex quibus omnibus mutationes & alterationes suas mutuatur, & in ea consideratione ad specialia quoque descendat, ut salubritatem aut insalubritatem loci perspiciat exinde, quæ ad morborum Epidemiorum maxime & Endemiorum procreationem faciunt, quæque hominum ad morbos dispositiones indicant, & quæ in salutem rursus eorum cedere possunt, &c. Natura enim loci, quæ per urbes, oppida & pagos variat, ubique & mala habet sua peculiaria, eaque format, ac

non raro etiam temperat ea ac corrigit, ut sæpius diversa admodum vix unquam plane eadem facie appareant. Adeoque in salutari medica arte, in cognoscendis iis, quæ exinde debemus expectare, quæque quibusve avertere, juvare, moderari, corrigere aut contraniti, & in historiis & observationibus medicis conscribendis, quibus medicina certior redditur, augetur & stabilitur, ac Medicus consummatus rerumque suarum certus evadit, magnæ hæc sunt considerationis, maximæque utilitatis, &c. Sed de his & similibus etiam Pathologorum libri utplurimum silent. Agnoverunt quidem hoc optime jam Veteres, quibus examinandi nimirum naturam cujuscunque regionis corpori humano an nocivæ an proficuæ, methodus ideo usitatior erat, ac huic potius quam pharmacevticis remediis studebant. Etenim laudi maximæ, magno illo medicinæ parenti HIPPOCRATI *ducitur, quod per varias regiones itinera fecerit, experimentaque instituerit & medicinæ effectus & successus per multa loca cognoverit, ut habent* WIGANDUS, *atque* SORANUS. GALENUS *& varias peregrinationes terra mariquè discendi causa laudatissime suscepit. Ideo & sua laus merito ac commendatio manet eos Viros cordatos ac diligentes, qui nostra hac ætate meditationes suas ac studium in indagandis iis, quæ ab aëris constitutione, ac victu, ac vivendi ratione cuivis loco propria, atque ex manifestis mechanico-physicis causis proficiscentibus, ac quæ tam ex præcedenti quam præsenti tempestatum constitutione dependent, iisdem prædicendis riteque curandis collocarunt, quorum celebr.* SYDENHAMIUS, RAMAZZINUS *laudatissimi sunt antesignani. Atque cum viderim operæ pretium fuisse* MARSILIO CAGNATO *ac* LANCISIO *de aëre romano,* RENATO MOREAUVIO *de aëre Versalienſi,* CÆS. GRAMMIO *de aura chilonienſi,* BARTHOLINO *de aëre Haffnienſi, aliisque egregiis Viris de aliorum locorum aëre illorumque conditione peculiares*

liares libellos comparandi, convenientissimum hinc & ego judicavi, esse hic aëris Lipsiensis, celebris loci, soli felicis, inclytæque telluris, qualemcunque etiam considerationem, esse descriptionem. Suadet hoc pergratæ mihi habitationis locus, hortatur ac movet reiteratis etiam vicibus communis Medicorum Præceptor HIPPOCRATES *in elegantissimo tractatu* DE AERE, AQUIS ET LOCIS. *Equidem ex specula quasi jam prospecto censuram, quam Tu, L. B. qui paginas has de Lipsiensi aëre, a. & l. conscriptas evolvere vel inspicere dignatus fueris, sis laturus, nempe in illis parum esse Lipsicæ elegantiæ, parum convenientiæ, parum accuratæ elaborationis, quod Lipsiensium gustui judicioso & delicatissimo placere vel iis arridere posset. Fateor lubenter, eas esse rudes adhuc & non satis exasciatas, esse pro politissima Lipsia non satis politas. Aërem tradunt & ventos instabiles, interruptos, intempestivos, sæpius parum suaves, horridos, asperos, non raro oculis mentique adversos. Tractant terram incultam, inæqualem, sterilem, sibi relictam passim non nisi inanem, proferentem zizaniam loliumque urendum. Tractant eædem sylvas incomptas hispidis vepribus ubique interdistinctas & lucos obscuros formantes. Loquuntur de pratis, agris, herbis & floribus, plantisque acceptis atque adversis sine ordine abundantibus. Exhibent eædem simplicem & turbidam aquam, sistunt copiosam in urbe hominum turbam, ac inconditum sæpius accurentium agmen. Quodsi itaque non satis excultus tibi labor videatur, cogites, hunc genium atque indolem aëris, ventorum, terræ, aquæ, & tumultuantium turbarum referre, cum reique ipsius natura convenire, ideoque veniam dabis scriptis, interrupta conturbataque meditatione, literis consignavi; Insuper & habebis me excusatum; si forte tibi quædam non arrideant, quia vera sunt, utilia noxiaque tradantur necesse enim est, eoque hæc magis utiliter afferuntur, e quibus ad emendationem gradus sit.*

§. I.

LEctiſſima Lipſia eſt, cujus conſiderationem jam aggredimur phyſico-medicam. Primum igitur oculis metiamur ſingula fixis. Contemplemur ejus interiora pariter ac exteriora circumjacentia loca, regionem, ſitum, ventos, aquam, tellurem, campos, prata, ſylvas, hortos, & quæ in hoc genere præcipua cognituque digna ſunt, ut ad ſingulorum penſitationem nobis conſtet, quæ aëris nos undique ambientis, & quem continuo inſpiramus, ſalubritatem faciunt, quæ minus.

§. II. Aëris enim, (fluidi illius ex diverſis particulis conflati, immenſo ſpatio diffuſi, omniaque complectentis, omniaque pervagantis) ſtatus diverſus quoad compagem per affectiones conſpicui, juxta ſolem, lunam, planetas reliquos, cœteraque forſan ſydera, ex varia regionum natura, variaque conditione aut poſitu, quomodo ea ſe habeant invicem, qualiaque effluvia in aërem mittant, potius deducitur. Nimirum, quod aër alius non ſolum ſit humidus magis, alius ſiccus &c. ſed & quoque alius his, alius aliis effluviis ſit imprægnatus, alius fœtidis, putridis, nocivis, alius rurſus fragrantibus, laudabilibus blandis, balſamicis, ſalibus volatilibus (ob quæ in noſtra Europa præ aliis aër avenionenſis celebris habetur) & ſimilibus, iisque quandoque, diverſiſſimæque naturæ particulis, quoad magnitudinem, figuram, texturam & motum inibi congeſtis, dictis debetur: Pro varietate enim tempeſtatum, ſolis & aquarum diverſi generis exſpirationes in aërem ſemper emittuntur. Per ſolem ex humidis &c. partibus innumeræ attolluntur & trajectione ipſius aëris pro diverſis telluris locis perpetuo partes quædam a reliquarum compage ſeparantur & in aëream maſſam ſub exhalationum, halituum, vaporum, atomorum forma deferuntur, & non raro admiſſæ in fauces ac nares per aërem vel ſapore odoreque percipuntur. Quæ cum non ſint eædem omnes ſimul & ubique ſemper, & ſi quædam junctim adſint, ab aliis iterum cauſis diſſimilisque naturæ effluviorum occurſu invicem facto ac mixtione quandoque & confermentatione disjiciuntur, avertuntur, impediuntur, deſtruuntur, immutantur, alterantur,

tur, corriguntur. Pro effluviorum igitur horum in atmosphæra abundantia aut paucitate, diversitate, rarefactione, aut condensatione, agitatione intensiori aut remissiori eadem ut aut crassa magis est aut tenuis, pura aut impura, calidior aut frigidior, ita & salubris quoque aut insalubris magis &c. Nec minus aëris pondus pro vario locorum ac regionum situ & positu admodum variat; cum enim partes illius elasticæ sint ac plicabiles aliæque aliis superincumbant, ut inferiores a superioribus incumbentibus premantur, sequitur quod inferiores pressæ arctius inter se jungantur densiores magis & spissiores reddantur & graviores; superiores vero tenuiores, expansæ explicatæque magis sint. Quo magis igitur eædem terræ sunt propiores, eo graviores quam terra remotiores & altiores, eò tenuiores. Quod ex varia mercurii currentis in tubo Torricelliano contento suspensione satis elucescit, prout in locis excelsioribus & vel declivioribus aut etiam subterraneis experimentum instituitur, quales observationes bene multæ legendæ sunt in P. Fr. Tert. de Lanis Magist. art. & nat. T. II. L. VI. c. V. Per hanc aëris gravitatem aut levitatem majorem aut minorem & hinc pendentem pressuram liquidi interioris ad tuendum vitalem in animalibus circulum necessarium elaterium varie afficitur, intenditur aut remittitur & temperatur atque simul solidarum partium in corporibus animalium renitentia augetur aut minuitur, propulsioque sanguinis per vascula pulmonum, musculorum, cutis aut promovetur aut inhibetur, aut conservatur, quod ex animalculis campanis vitreis inclusis & aëris extractione antliæ pnevmaticæ ope colligere est, ubi illorum vita varie mutari potest. Ejusmodi causæ, salubritatem aut insalubritatem aëri inferentes; non nobis patent statim & semper, ut etiam halitus nunc visibiles sunt, nunc invisibiles, nec diligentiori indagine, nec altiori, etiam non raro impetrantur, si accipiamus, quæ referuntur nobis, ut fertur a Plinio, Lib. 2. c. 96. Crotonem & Locros ob ignotam cœli quandam benignitatem pestem sensisse nunquam, viciniam sæpissime. De Charonia & Siciliæ oppido habetur, eam adeo esse insalubrem, ut pauci adolescant ibi, licet optime alias posita sit. Nondum pariter Scriptorum

ptorum consensus convenit (habita & forte victus reliquorumque ratione) cur Florentiam, quæ cum quavis Italiæ urbe salubritate certat petechiæ & apoplexiæ frequentes infestent, & cur Neapoli, quæ huic vix ea ratione secunda urbs censetur, pauciſſimi seneſcant, cur Carpetanos, tertianæ quartanæque febres frequentes afficiant, cum tamen universa eorum regio una cum Metropoli omnium consensu aëris salubritate & aquarum bonitate emineat, adeo, ut Hispaniarum Reges quondam permoti sint, hanc cum Toleti urbe antiquiſſima Regum Regia permutandi eligendique Madritum. Curque Venetiis ea pars urbis, quæ ad D. Nicolai tractum protenditur, morbis minus obnoxia sit, & magis longævos homines producat, Egnatius lib. 8. exempl. c. 4. Conf. Fidelis, de Relat. Med. p. 13. Rursus ejusmodi est, quod e contrario quoque sint quædam regiones & loca, quæ insalubria videntur, quarum tamen incolæ sani, vegeti atque vivaces deprehenduntur, imo dantur quædam, quæ a certis quibusdam morbis plane immunes, tamen vix aliis bonitate aëris præditi sunt, ut in Hungaria insalubri alias regione ob aërem humidum & gravem morbus comitialis, æque ac in Belgio spasmus rarus, & in Scotia quartana febris ignota plane est, vid. Donius, de rest. salubr. agri Rom. p. 7. & p. 11. addit idem Romæ stationem equitum custodiæ pontificiæ ac inquisitionis carceres in insaluberrimo manifesto loco esse positos, salubrius tamen ibi homines vivere & præ aliis Romæ locis senio confectos reperiri; quod etiam Lancisius confirmat Hist. Rom. epidem. cap. 2. In magna ægrotantium epidemia lue frequentia ædes Inquisitionis nullo morbo tentatas fuisse, qua de re hic hanc rationem addit, quia aër e vicinis fornacibus tepefactus esset & loci situs ab aquilonibus tectus.

§. III. Atque aër cum effluviis omnis generis, quæ in eo volitant quibusque ille est imprægnatus, & quibus vehiculum se præstat, per varias vias, meatus & media, per os, nares, aures, œsophagum, asperam arteriam, per alimenta salivam, inspirationem, &c. De quibus consulendi sunt Pechlinus, Part. I. Medico Phys. Obs. 52. Poterius, Obs. Cent. 2. 62. J. B. Scaramuccius, in M. C. Decur. 2. an. 9. Obs. 204. Subtilibus crassioribus

ribus magis humidis & terreſtribus, etiam (quas Dygbæus ſpeculo cauſtico calcinatos aſſerit) medicamentoſis bonis malisque, morboſis, contagioſis viſceribus maſſæ ſanguineæ ac humoribus advehitur; eosque & eorum motum & mixtionem afficit & alterat varie, iis maxime, quæ ſunt e genere ſalino-ſulphureorum, tenuiorum agiliorum, fermentativorum, cauſticorum quarum tenuitatem & ſubtilitatem, penetrationemque ex illis experimentis colligere potes, quibus ſulphur vulgare & antimonii in ſpiritum fumantem redigi poteſt, ut argentum ciſtis ligneis incluſum fuſco colore induat, aut quando argentum vivum corpori humano inungitur, aut cantharides manu detentæ vel emplaſtro applicatæ in meatibus urinariis dolores excitant, ut expertus eſt illuſtris Boyle, v. ejus tr. de ſubtil. effluv. Et ut corporum partes fluidæ varie ſic afficiuntur, ita & ſolidæ earumque tonus pro indole aëris alterantur quoque. Quis eſt, qui neſciat, a frigore cutem conſtringi, ab humido & tepido eam rariorem reddi atque flacceſcere, coria molliora fieri & funes longiores, fides relaxari, carnem ac vaſa interjacentia ab aëre calido langeſcere? &c. Amplius inferendum eſt aërem cum variis mixtus omnia ambiat, feriat, penetret, cumque præſertim in omnia fermenteſcibilia & fermenteſcentia magnam habeat potentiam, ut hominum & animalium corpora, ita & vegetabilia eſculenta & potulenta alterare, &c.

§. IV. Jam jamque rectâ ad Lipſiam noſtram, ut quæ habemus inſtituta perſequamur. Oculis primum itaque ſi metiamur, undique urbem curioſis atque attentis, ac ordiamur ab ortu, & ab interioribus urbis in urbe quaſi conſtituti, deprehendimus ejusdem ædes illarumq; frontiſpicia, feneſtras & oſtia maxima ex parte orientem (optimam plagam) ſalutare autem & oppoſitas e regione totidem fere occaſum; minorem earum propemodum numerum meridiem & vice verſa pari ordine ſeptentrionem ſpectare. Forum ut amplum eſt, planum atque ſpatioſum, ita & plurimæ plateæ largæ & longæ ac regiæ; quibus vel urbs Panormitana, vel Pariſiorum Lutetia, vel Granata Hiſpaniæ & Linzium Auſtriæ, utpote quæ urbes hoc nomine præ aliis apud Autores celebres

 ſunt

sunt vix elegantiores, monstrabunt; interjacentibus tamen nonnullis arctioribus minoribusque; quæ transversæ majores dividunt, pauciores earum ad orientem & septentrionem, plures ad meridiem & occidentem directæ excurrunt, & ventorum ex his oris spirantium incursus liberius excipiunt. Et licet illarum aliquæ sint paululum inflexæ & rursus aliquæ ita dispositæ, ut ædificia habeant objecta, adeo magni tamen momenti id vitium apud nos esse vix existimamus, uti quidem multi existimant, & si ambabus largimur, inflexas præ rectis & liberum exitum habentibus minus esse commodas, ut intuentibus minus illis jucundum etiam præbent spectaculum: Flexura enim umbrosas aut tenebricosas reddit & sol & venti oblique magis petunt eas, nec libere, & per rectam lineam perflant, nedum ex omni parte admittuntur, & attingentes obstaculum quoddam & plura quasi inveniunt latera, aërem ibi concluſum quasi collidunt & turbant, inæqualemque reddunt, hic dividunt; illinc in unum velut colligunt agmen & exhalationes pulveresque in iis non satis ejiciuntur, sed diversimode moventur ac retinentur magis, sicque aër ibi crassus atque impurus manet, atque aëri in civitate alteratio haud satis conveniens inducitur. Nihil quoque causæ nobis est, ut nos existimemus cum veteribus Romanis platearum angustias salubritati nobis uti ipsis magis conducere, de quo tempore Neronis I. R. post urbis incendio excidium palam conquerebantur atque veteris Urbis formam, ut tutamen adversus solis æstum & inclementiam ventorum præferebant, ut habet locus apud Tacitum in Annal. Lib. XV. n. 43. ubi sequentia leguntur. „Erant qui crederent veterem illam formam salubri„tati magis conduxisse: quoniam angustiæ itinerum & altitudo „tectarum non perinde solis vapore perrumperentut; ut nunc „patulam latitudinem & nulla umbra defensam graviori æstu ar„descere. Ratio statim liquet, quoniam in angustis viis aër umbrosus, impurus, variisque exhalationum modis infectus ex iisdem urbis locis excitatis crassus, densus atque retentus, & in seipsum quasi restrictus ob defectum metus & ventilationis est. Hæc civitatum illarumque viarum atque itinerum conditio tantæ considerationis est, ut observet & referat Quercetanus, vid.

Dia-

Diædet. polyhiſt. p. 195. Toloſanam urbem ſæpe peſte fuiſſe tentatam, ex putridis humiditatibus marini venti inquinati, advectis, dilatatis vero urbis vicis & compitis purgatisque ex iis diligenter ſtercoribus, aëre captato libero liberaque ventorum tramite, ſicque ventilatione meliore aëris procurata, urbem ab illo conſueto contagio liberatam fuiſſe: Varia adhuc inſuper interiora urbis ita quoque ſe habent, ut ibi ſemper fere ſenſibilis aëris ventilationi inſerviens, efficiatur ventus, ut ſunt forum atque inprimis templorum areæ ſpatioſæ quippe ſi aer in aream amplam tranſit in ædificia non ſolum alliditur, reſilitque & expanditur magis, ſed & in angulos anguſtioraque loca circumpoſita ſe recipit & in adjacentes plateas inæqualiter licet ſic ſpirans pertranſit. Non alibi vero ventorum copia major, quam in area templi Divi Thomæ: oppugnatur hæc urbis pars usque quaque maxime ab occidentalibus ventis, & eorum primum impetum recipit, qui ordinario cum ſtrepitu & vehementia ſpirant, multasque denſas & aquoſas caligines & nubes ſuſcitant. Majori enim copia in iſta cœli plaga ex humidorum & paludoſorum iſtorum locorum exhalationibus vernali præſertim autumnalique tempore in aëre generatur, ac liber aditus per demiſſiorem ſitum conceditur, ibique per arctiores fauces & angi portus comprimuntur, ſicque acuuntur repercuſſione ædificiis publicis objectis ſinuationeque per angulos agitati, inter ſe quaſi pugnant ac multiplicantur, ac die noctеque ſonitu magno ſæviunt.

§. V. Urbis ea pars, quæ ad orientem & meridiem protenditur, elatiorem obtinet ſitum patentes nec inpeditos obſtaculis agros longe lateque protenſos ſpectantem, firmioremque propemodum & ſicciorem terram, unde & infeſtantibus quondam hoſtibus urbem, hæc regio opportuna modo fuit, ut cuniculos agerent, reliqua enim occultum opus & munitiones non accepit. Ubi huc oculis ventum eſt, ante omnia meridiem verſus adhuc muri craſſi celſique atque elatæ moles portarum, arcis & ædificiorum publicorum prominent, quas extus alti aggeres & fortes circumveniunt, qui ventos meridionales inſalubres avertunt ſimul & coërcent commode. Hacque ſitus

conditione Lipsia auram refocillantem captat, æstate & solis aditum etiam ante productam diem admittit, teporem recipit hyeme; nec languescentem eum circa vesperam habet. Reliqua, quæ ab occidente ad septentrionem excurrit decliviori magis humidoque loco fundata est, maxime ea in longitudinem urbis porrecta platea, quam incolæ Prulium vocant, quæ ut plerique non sine causa credunt, a palude nomen accepit. Imprimis vero occidentalis angulus, quo per portam itur Ranstadiensem omnium declivior est, unde & omnes sordes, sive ex ductibus platearum communibus, sive ex latrinis repurgatis redundantes, ibi ex tota propemodum urbe confluunt, & per aquagium commune effluunt. Hinc de hac civitatis parte observatum est, conclavia in plurimis ædibus præsertim in Prulio ad terram madita esse, adeo ut reposita ibi facile madefiant situm contrahant, & mucore quodam lanuginis instar molliusculo & candido brevi obducantur & vermibus exedantur. Ex his itaque memoratis infraque ulterius memorandis statim apparet, Lipsienses aëris salubritatem quoque pro ipsius urbis partium varietate variam esse. Nemo facile nostratium inficias ibit, v. gr. in plateis Grimmensi & Petrina proximeque adjacentibus & confiniis in majoribus spatiosis & rectis salubrius vivere, quam in Prulio, plateis sylvæ (Haynstrasse) Fleischer-Gasse &c. & minoribus arctioribus & reflexis atque conclusis.

§. VI. Domus privatæ, quas plateæ continent, magna ex parte lapideæ sunt, decenti fenestrarum dispositione, numero & magnitudine conspicuæ & quoad interiora quoque sat spatiosæ ac amplæ, quarum plurimarum splendida structura, splendidusque ordo, forma certantium omnium intuentium oculos in semet convertit haud immerito, ut & semper inter tres elegantissimas Germaniæ urbes juxta Wratislaviam & Monachium numerata sit, vid. Cluverius Geograph. Lib. 3. c. 13. §. 4. Ædes ephyreas eas esse dixeris, de quibus dici posset:

Arcibus æquandæ sunt & sunt turribus ædes,
Principis est magni regia quoque domus.

Jampridem Lipsiæ aureæ sublimia tecta & marmora huc longinque

que advecta & a Jul. Cæſ. Scalig. memorata ſint, & forte non ingratum erit, totam hic legere Inſcriptionem:

Lipſia, ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis
Lumina dum ſaturat mens perit icta fame
Vecta quibus ratibus longinquæ marmora terræ?
Unde frequens flavi pura nitela Tagi?
Huc Cyprum huc Temeſum huc Arabas huc Serica dices
Sedibus evulſa huc Indica regna ſuis.
Cum gemma bibitur vincuntur nectare gemmæ:
Sed linguæ varius vincit utrumque nitor
Nec Germana tamen vitiatur Lipſia luxu
Aſt hunc Germanum Lipſia magna facit.

Sed o domus antiqua, quam diſpari domino dominaris! Longiſſime hodie mutata, longiſſime decora atque amœna aucta Lipſiæ facies eſt, & ſplendor oblectans, dives commerciorum fœnus atque ſublimis dignitas eminent, & adhuc indies ad delitias & decorem omnis lapis eruitur, cæduntur gentium ſylvæ, æris ferrique uſus jam auri argentique quoque in exſtruendis & decorandis domibus, ut Fabii Papirii verba ap. Senecam. Libr. 2. Contr. 1. huc mihi trahere liceat. Eædem inſuper ubique fere in faſtigia alta inſurgunt, quæ tres contignationes in plurimis, in multis quatuor explent, imo quædam altius adhuc extolluntur. Hæc plurimarum Lipſienſium ædium conditio eſt, haud tamen negandum (quod omnibus urbibus eſt commune) multas etiam eſſe arctas, ligneas, male materiatas, minus perſpirabiles, minusque illuſtratas a ſole, umbroſas, tenebroſas & feneſtris parvis, anguſtis, raris inſtructas, quæ olim ratio ædificandi fuit, an aëris vitium hoc ipſo modo avertere voluerint (ut quondam fert ſententia Medicorum) jam affirmare aut diſquirere, noſtrarum partium non eſt, neque hujus loci. Hoc potius addere nobis jam convenit, habitationes longe eſſe ſalubriores, quarum feneſtræ in optimas cœli plagas bene ſunt diſpoſitæ, ſique ſint altæ & largæ, ut perſpiratio liberior concedatur, & ſalubrioris, auræ acceſſus & illuſtratio ſolis, ſique aër forte avertendus ſit aut alterandus, ex facili obturan-

turando easdem id fieri poteſt. Reliqua eo nomine in medicam veniunt conſiderationem, quod ædificia ex lateribus coctilibus, & lapidibus erutis extructa frigidiora ſint, & ſalubrius & amœnius ibi æſtate imprimis vivatur; frigidiorem enim efficiunt aërem ipſa hæc ædificia & plateas perſpirantem, quia æthere rarefactum licet ad quandam diſtantiam a ſe repellunt & reflectunt denſiora eundemque intra ſe ad centrum premunt coguntque. Quæ vero parietibus ligneis, luto ſaltem vel calce coagmentatis, ſunt ædificata, aër quidem ſiccior ſed tepidior, æſtate igitur minus conveniens ibi exiſtit. Conf. Verulam. Hiſt. N. p. 954. Atque domus bene materiatæ & ex craſſis & firmis parietibus, nec facile rimis obnoxiis conſtructæ, adverſus cœli flatuum vaporumque injurias tutum inhabitantibus præſtant præſidium. Hinc Cartaginenſes, ut ſe contra aëris ventorum, imbrium & maris halituum inclementiam magis ſe munirent ædificiorum parietes pice obducebant. Spatioſa vero ædificia, & ampla, & in quibus præſertim tranſitus conceditur, a ſole magis illuſtrantur & aëre ventisque perflantur, adeoque ad aëris puritatem & ſalubritatem multum confert id ipſum. Domus cæterum nimis altæ, ſi imprimis plateæ ſint arctiores aërem ibi minus ſalubrem, obſcurum, ſuffocatum, minus illuſtratum minusque perflatum & impurum magis efficiunt. Hanc aëris impuritatem & denſitatem eo magis percipiunt, quo propius ad terram habitant, ſuperiores enim contignationes in ejusmodi locis ordinario ſunt ſalubriores, effluvia enim heterogenea impura, humida, craſſa, adeoque gravora circa terram potius retinentur, pura vero ac tenuia altius moventur. Dicto faciunt fidem plurima Italiæ loca, exhalationibus nocivis famoſa, præſertim ad lacum avernum, ſpelunca canina, ubi exhalationes animantia necant circa humum exceptæ, ad certum nam ſaltem ſpatium aſcendit noxa, ultra quod ſine ea ſpiritus ducitur. Sic etiam in Inſulis ubi Piper naſcitur, quæ Bantam, Pedir, Sumatra, Mozambiqua Java vocantur, eam eſſe ſoli effluviorum malitiam, ut advenis terra inſiſtere ſit periculoſum & humi dormire lethale. vid. H Mundius in operibus medico-phyſicis p. 47. ſcribit. Spectat huc hocque pariter

declarat Mariotti experimentum in nitri collectione, per quod deprehendit in contignatione domus quarta nitrum non regenerari ex terra nitrosa elixiviata. Siquidem & constat in inferioribus ædificiorum partibus salia deliquescere citius, imo omnia corpora, quo sublimius in aëre hærent, eo sicciora sunt, argumento, majorem esse in locis terræ vicinis aëris humiditatem & gravitatem, &c. Qui rem e propinquo magis arguunt, in modo domus Lipsienses construendi, leve quoddam vitium ponunt, nec sine ulla prorsus ratione: nimirum multas earum ex veteri adhuc ævo relictas fastigia per contignationes habere exerta ac tecta prominentia super imposita propemodum omnibus, plurimis adstructa esse meniania & inferioribus partibus suggrundia, cum aërem hic caliginosum reddant ac quasi concludant, angusto superius spatio relicto, ac effluvia inibi retineantur magis, obversis egrediendi obstaculis. Hoc incommodo imprimis Londinum Angliæ Caput laborat, in quo exporrecta ædium tecta magnam quoque platearum contegunt partem, quod in Lanfii reprehenditur consultationibus contra Britan. pag. 567.

§. VII. Ipsa urbs una cum suburbiis numerosissimam alit incolarum copiam, Mercurio atque Minervæ amica, grata hinc peregrinorum hospita. Academia enim præclara omnium bonarum literarum custode atque altrice celeberrima & florentissima, atque emporio frequentissimo & opulento mercatus celebratissimos concelebrante, artificum, opificum & mechanicorum omnis generis officinis admodum insignis. Quotidie hinc inde commeantium & discurrentium multitudo vias occupat & obstrepunt, fremuntque, ut in emporiis consuevit negotia, frequentissime hic exteri commercia quærunt, emtores & venditores etiam longissime remoti huc accedunt sæpissime. Atque Academiæ alumni magno in numero, quam vix alibi, per horas frequentant collegia. Nulla hic solitudo, nullus hic locus vacuus est, nullus angulus, quem frequentia inhabitantium non occupet, nulla domus deserta est, imo ædificiorum conclavia hinc inde populo sunt tota repleta. Idcirco de Lipsia dicendum, quod de urbibus magnis & frequentibus civitatibus dicitur propemo-

pemodum omnibus, aërem ibi non satis existere purum & tenuem, sed variis & copiosissimis effluviis heterogeneis, fœtidis, impuris, ex hominibus, animalibus, hypochaustis, officinis, stabulis, cloacis, latrinis fimi cumulis & scrobibus, quisquiliis, purgamentisque variis continuo exhalantibus, imprægnatum, & ex omni parte quasi concluſum atque retentum. Horum effluviorum variorum & noxiorum ut plurimum, in urbibus undique concurrentium turba & copia omnis omnium ibi convenit, & in unum quasi agmen coacervatur, si maxime in anguſtum coëunt spatium, aliorum in alia diverſorum impulſus fit & arietatio nec facile depelluntur. Non ſolum impurus ideo redditur aër & craſſus, ſed & calidior, is enim majorem ſemper calorem concipit, quam tenuis & purus. Hinc in minoribus oppidis & pagis ac rure, quæ loca liberior, purior & ſalubrior aër afflat, quæ ros matutinus, occultum vitæ populum, humectat, quæ fragrantia florum in pratis, agris, ſylvis, montibus convallibusque recreat, homines in domiciliis humilibus & arctis luto, ſtramine ac ligno ſaltem coagmentatis, licet degentes, firmiori ac conſtantiori ordinario fruuntur ſanitate, vigore atque longævitate iis, qui urbes majores & populoſas, pallatiaque ſuperba, alta ac ſpatioſa optimeque materiata inhabitant. Expertis omnibus conſtat, quando in aëre ſereno & ruſticano verſantur homines, corporis & animi vires eſſe liberiores, eſſe auctiores, atque ſe ſentire alacriores protinus, appetitum augeri omnesque actiones inſtitui expeditius &c. Imprimis vim liberioris aëris deprehendere licet ſi convaleſcentes morbo diuturno cubiculo lectoque affixi, imprimis qui phthiſi aut laborarunt aut laborant, in rus conferant ſe, ſenſibiliter enim ibi recreantur. Rurſus urbium fœtorem percipient certius rure redeuntes. Hinc apud Medicos morbi certi urbibus populoſis & magnis frequentes, in pagis autem & ubi liberiori aëre & limpidiori fruimur, rariſſimi noti ſunt, ut aſthma, tuſſis, phthiſis, peſtis, catarrhi, febres malignæ, malum hypochondriacum, colica, podagra, ventriculi debilitates, nephritis & calculus, hectica, ſcorbutus, & ſpeciatim parturientium graviſſimi & periculoſiſſimi labores, & ſimiles plures, qui aëris vitio adſcribuntur, ſi excipias quosdam, qui ex

vita

vita ſedentaria, curis, inordinata diæta, crapula &c. procedunt. Memoratu dignum hinc eſt, quod Plutarchus in problem. habet, Templum Æſculapii Romæ ideo extra urbem ædificatum fuiſſe, quia major ibi aëris ſalubritas concederetur. Nam ex hominum, pecudum, merciumque multitudine & opificum laboribus aliorumque adeo multorum & diverſorum corporum multa quoque peregrina in aërem mittuntur effluvia, vix enim corpus tam ſolidum eſt, quod poros non habet, nullum adeo compactum, quod non effluvia emittit. Hoc haud difficile credat, qui curioſiſſimo Sanctorio credit, tantam fere effluviorum copiam per inſenſibilem transſpirationem excerni in ſolo homine, quantam vix plurimis diebus per alias vias ſenſibiliores & ex ſola exſpiratione ſingulis diebus ad ſemilibram vaporum exire, aut qui ſemel ſaltem frigidiori aëre equorum v. g. corpora fumantia vidit, qui manum ſpeculo vel diſco ſtanneo polito admovit &c. Adeatur hac de re Celeberr. D. D. Vateri Diſput. de tranſpiratione. Horum omnium plurima effluviorum ſcilicet ſunt inſalubria, pauciſſimi enim homines perfecte ſunt ſani & qui laudabiles poſſident humores, plures ſunt hypochondriaci, ſcorbutici, cachectici, tabidi, qui pudorem ſpirant, hircumque olent, halitumque emittunt fœtentem, &c. pauciſſima quoque alia ex aliis corporibus animatis & inanimatis ſalubritati conducunt. Accedit multitudo latrinarum, cloacarum, ſterquiliniorum atque ſtabulorum frequentia, in quibus & circa ea fimus in cumulos congeritur, ad plures menſes remanet & putredinem concipit, fumosque denſos & calidos ſpargit, ex quo demum per urbem in rus exportatur, commota camarina totam inficiens fœtore viciniam. Ob ejusmodi fœtores & juncta platearum arctitudine v. g. Conſtantinopolim ſæpius peſtis invadit, vid. Heberer. Lib. 2 Servit. Ægypt. cap. 48. p. 303. & Vienna Auſtriæ adeo multis morbis obnoxia cenſetur, de quo conf. Gerbezius in Chronolog. med. p. 125. Ex eadem ſordium cumulatione febres malignas & peſtilentes inductas eſſe refert Dimerbrock de peſte p. 154. Lutetiæ Pariſiorum & Toloſæ Gallorum. Conf. & Palmarius in epiſt. & præfat. in Lib. de febre peſtil. Quare præclare & ex dignitate a JCtis factum eſt, qui

ſalubritatem aëris, in qua omnino ſalus etiam civitatum eſt poſita, ſibi habent commendatiſſimam, inveniuntur apud eos circa hoc ipſum paſſim multa peculiaria interdicta Prætorum v. g. ut cloacæ purgentur, hyeme non æſtate, Gloſ. in c. 21. §. 1. ff. quod vi aut clam. de nocte non die, Ripa de peſte c. 4. de rem. præſ. contr. peſte N. 65. ne in vias publicas ſtercora projiciantur & morticina & pelles L. 1. §. 5. ff. de via publ. & ſi quid in ea fact. &c. Ne intra mœnia porci, anates, aliave animalia ſordida alantur. Stryck de J. Senſ. D. 5. c. 2. n. 32. Atque apud Romanos veteres jam conſtituti erant ædiles plebis, ut Halicarnaſſæus refert, curantes, ne aëri per cloacas, aquæ ductus, vias &c. immundities aliqua inferretur. Ejusmodi certius nocent, ſi loci ſolum per ſe eſt lutoſum & humidum platearum ſpatium arctum & cœli ſitusque ratio his famulatur. Sicuti enim homines refocillantur & confortantur, odoratui gratis ſpiritus animales augendo, incidendo ac attenuando, ut in cerebro volatiles partes majori in copia ſecernantur, ac reficiendo oblectandoque, ut odorum hinc maximus in medicina uſus: Ita ingratis & maxime iis, quæ a corruptione & putreſcentia proveniunt, humores & ſpiritus male afficiuntur, conturbantur, corrumpuntur &c. Hoc probe perſpexerunt, qui Publico ſumma cum laude proſpiciebant, nam autoritate eorum, haræ Anno 1680. metu peſtis ingruente ad eam avertendam lege publica indictaque mulcta ſunt ejecta. vid. Vogel. Annal. Lipſ. p. 785. Ob hanc quoque hominum pecudumque multitudinem hancque excrementorum copiam & ex cura neglecta & immunditie in caſtris adeo multi morbi imprimis ſi, in regionibus calidis & paluſtribus locata ſunt, incumbunt militibus, ex adverſo vero ſi hi puriori aëre ſæpius reficiantur, adeo multas calamitates ſitim famemque atque defatigationes continuas perferunt. In hanc rem notabile eſt, quod Deus T. O. M. uti videre eſt ex Deuteron. c. 23. populo Iſraelitico munditiem in caſtris ſapientiſſime præcepit. Hinc forte magna ex parte magna calamitatum Ilias, quam miles germanus in Hungaria per tot annorum ſeries in expeditionibus expertus eſt, cum in Turcarum caſtris omnia ſalva eſſent, qui munditiei

ſunt

sunt studiosissimi. Mirum itaque non est, si & in urbe nostra non raro æstate fœtor adversus ex cura neglecta nares feriat, in plateis inprimis minoribus & arctioribus & in suburbiis ubi ima plebs habitat, quæ messe tenus, ut dicitur vivunt sua, ubi & ædes plerumque ligneæ & calce aut luto saltem coagmentatæ sunt, & quarum hypocaustorum cubiculorumque spatium arctum, in quibus sole meridiano caligant, neque ventis perflatum satis, in quibus tot cloacæ, & magna illuvies & immundities affluit, quarumque interdum canales & ductus, communes quoque sunt minores & arctiores neque satis repurgati, sed sordes & aquæ retinentur & stagnant diutius in ipsis repletis, quæ sola causa fuit, Lugduni Batav. & Alexandriæ Ægypti, luis pernicioſissimæ diu grassatæ vid. Pechlinus Obs. p. 244. & Dapper in descr. Africæ. Quin cives nostri norunt hos ductus per ædificia vicina serpentes diuque conclusos neque purgatos purgantes de repente mortuos esse aut morbo maligno correptos. Quare salutis publicæ interesset, si infima plebs, quæ ut plurimum minus munditiei gerit curam, & opifices multi in spatiosis & ventis patentibus domiciliis plateisque & insulis separatis habitationes suasque officinas ponerent.

§. VIII. Equidem, (ut ad antecedentia paululum recurramus) incolarum frequentia, si modo habitationes, ædificia atque plateæ sint spatiosæ satis, & si purgatio quotidie & sedulo instituatur, adeo aëri non obesset. Hæc enim insalubritas ex parte corrigitur tam per ipsam hominum per domos atque plateas currentium discurrentiumque frequentiam, qui itu redituque aërem movent & ventilant, quam & potissimum per ignem, qui in culinis & fornacibus accenditur, accenditur vero eo frequentius, quo frequentiores urbes incolis sunt, imprimis si ligna concremantur resinosa, qualia sunt abietum, fagorum, pinorum, juniperi, per eum item, qui inter ipsas ædes instruitur pro doliorum impicatione &c. Ignis enim celerrimo suo motu & ventilatione aëris purgat eum ab omnibus vaporibus humidis, noxiis, malignis &c. easque exturbat, partes balsamicas, oleosas, salinas, volatiles, spirituosas, acidulas, laudabiles, ex lignis concrematis putridas figentes corrigentesque, aëri per vapores

communicat. Sicque per ignem corrigitur aëris quies, gravitas & intemperies. Notissimum est, quantum valeat ignis luculentus accensus in plateis & ædificiis, conclavibus in peste & morbis malignis & contagiosis. Ad quem ipsum scopum veteris jam pice, sulphure, asphalto optimo cum successu usi sunt. Memorabile ad hoc præcipue est, (ut plura exembla non addam) pestem, quæ Venetias An. 1556. afflixit, Murani incolis (insulæ 2. mill. ipsis remotæ) qui omnes fere artem vitriariam exercent peperciſſe dicitur, fornacum causa assidue ibi succensarum. Hoc adhuc præcipue scitu ac memoratu dignum est, ex observatione Excell. D. D. Frid. Hoffmanni ex illo tempore ex quo carbonibus fossilibus Halæ usi sunt salis coctores, incolas propemodum nescire purpuras, petechias atque malignos morbos ejusmodi ob virtutem, quæ exinde exsurgit balsamicam. Cum enim ea ex quotidiana salis in urbe coctura incredibilis ferme aquæ quantitas in auras propellatur, fieri non potuit, quin illa de causa totus aër humidus fieret urbique; incumberet, unde tunc ea, ibi morborum genera maxime regnabant, quæ littus boreale accolentibus sunt familiaria scorbutus &c. quæ correxit ille ex fossilibus carbonibus vapor commixtus. Conf. ejusdem propempt. inaugurale de vapore carbonum fossilium innoxio. Quare (ut incidenter saltem hoc addam) responsio facilis fuisset & expedita, cum aliquando quæstio exorta, num urbi ejusque salubritati conduceret, si in ipso agro Lipsiensi ex lignis e longinquo allatis carbones ustularentur.

§. IX. In specie indicandum est, civitatibus populosis ex consuetudine, ut Lipsiæ quoque ea invaluit in ipsis ædificiis sordida linteamina purgandi, aëris imminere labem, eoque magis, quo arctiora sunt eadem aëreque liberiori non perflata. Frequentes lotiones linteaminum ejusmodi sordidorum aquis saponatis ferventibus ac laboriose agitatis particulas excrementitias salino-sulphureas exhalantibus evehentibusque viscido subtilisato junctas, aërem insalubrem reddere imo pestem inferre refert Dimerbrock de peste c. 12. Curiosa in hanc rem est observatio, pestem, quæ superiori seculo in Bohemia & Silesia grassata est, frequentius in illas ædes irrepsisse, in quibus sordida lota essent

essent lintea, confer. Behrens select. diætet. pag. 25. Saponem illitam notat Boccone Observ. curios. p. 463. ad putredinem conferre maxime in pannis lineis. Præter hæc aër ejusmodi ex linteaminum sordidorum lotionibus inquinatus mirum obest maxime pulmonibus & infert asthma, tussim, imo phthisin atque vomitum. Conf. Ramazini de morbis artif. c. 23. Amplius adhuc & speciatim magis quoque dicendum est, effluvia alkalina ex coctione lixivii & cinerum evoluta aërique communicata, alias licet sint laudabiles, quandoque esse non nociva, ubi nimirum variolæ, morbilli, purpuræ, putridique alii morbi sæviter infestant: In his enim acidula prosunt, alkalica vero acidum destruunt, sicque & curationi horum morborum & reconvalescentiæ resistunt. Hoc ut credam, me movet observatio haud simplex, qua constat, in illis Silesiæ oris, ubi pro linteaminibus candefaciendis lixivium quotidie coquitur & in linteamina effunditur, pueros variolis morbillis, ut purpura & similibus putridis morbis laborantes, in illis habitationibus & in vicinia decumbentes citius interire aut ægrius convalescere. Quare consuetudo illarum civitatum merito venit laudanda, qua lotiones ejusmodi extra urbem ad profluentes instituunt aquas.

§. X. Sed relicto paulisper urbis fumo ædificiorumque umbra atque aëre intra interiora ejusdem delibato, per proximam viam, qua porta patet, extra urbem paululum pedes quoque moveamus, & liberiorem modo auram extra pomœria capiamus. Ubi in nostro curiosæ exspatiationis itinere statim urbem egressi videmus, quod eam cingant fossæ sat largæ, quæ in parte elatiori, qua orientem nimirum spectat, siccæ sunt, demissiori & majorem partem complectente, qua in meridiem scil. occidentem & septentrionem vergit aquis stagnantibus, crassis, refertæ & fœculentæ, magno sordium cumulo squalidæ, quæ tetra, putrida omnibus sensibilia omnibusque adversa, atque pessima effluvia reddunt & insalubria. Si tales igitur fossæ sedulo repurgarentur exinde in incolas haud vile emolumentum purioris aëris omnino posset redire. In hoc argumentum notat P. Salius Diversus de Feb. pestil cap. 20 §. 143. Patriam suam exsiccatione aquarum in fossis publicis stagnantium a fe-

bribus pestilentialibus quotannis autumno grassantibus fuisse liberatam. Et notabilis in hanc rem locus apud Hippocratem occurrit Epid. Lib. I. S. 3. Ægr. 1. ubi de Philisco loquitur die sexto febre lethifera mortuo, memoratque, quod ad muros ejus habitatio fuerit, quo & mihi commendatio Mercurialis placet, qui optime advertit Hippocratem ex destinato habitationem addidisse, ut omnibus constet ejusmodi locum maxime esse insalubrem, quia maximus ibi sordium esset confluxus atque affluxus ac cadavera pecudum, aliæque impuritates conjicerentur. Similiter Ramazinus notat de Princip. Valet. tuend. p. 22. seq. Mutinæ febres malignas epidemias multos e medio tulisse, circa murorum ambitum habitantes, salvis omnibus civitatis interioribus domicilia habentibus. Ex hoc quoque Forestus Lib. 6. de febri & morbis epid. p. 162. Civitatem Delphensem insalubrem esse dicit & febribus pestilentialibus imo ipsi pesti sæpius obnoxiam, quod in declivi aquas non habeat currentes & fossas angustas ab aquis stagnantibus putridisque non purgatas. Huc etiam Cl. R. Lentilii observatio facit, quam in Epist. ad Cl. Lancisium addidit, quod ad mœnia civitatis Stutgardiæ olim stagnum amplissimum fuerit, & eam ob causam hæc civitas febribus intermittentibus endemiis iisque diuturnis & pertinacissimis afflicta; & ex quo hoc stagnum exsiccatum sit, dictæ febres & de frequentia & de indole remiserint. Agnoverunt hoc optime hujus urbis Primates, qui A. 1680. ob pestis metum inter alia etiam fossam Hallensem expurgandam curabant, vid. Vogel. Annal. Lipsi. p. 785. Cives ideo, qui ad mœnia & fossas habitant, gaudeant equidem de concesso ipsis amœno prospectu, sed suspecta quoque sua merito habeant bona suasque quas ex hoc sibi capiunt delicias. Nec adeo impense sibi ideo gratulentur hujus urbis alumni de exspatiationibus illis ordinariis & quotidianis circa mœnia & fossas ambulatione & curruvectione recreationis & sanitatis gratia factis, quoniam tunc hæc squalida, tetra & putrida effluvia exinde emantia propius & certius sub motione corporis, respiratione & inspiratione exinde aucta (corporis enim exercitia jove malo male cedunt) in sese recipiunt atque afficiuntur. Quare nostrates exspatiationes potius

ad

ad ambulacra, agros & hortos, præſertim orientem ſeptentrionemque ſpectantes, & ad quos per Grimmenſem atque Hallenſem præſertim portas itur, ſibi eligant.

§. XI. Non procul a mœnibus præterlabitur civitatem atque adeo arcem alluit a parte auſtrali occidentem verſus Plisna fluvius ex Nariſcorum montibus decurrens. Cofluunt etiam alii Alyſter & Para remotiori tamen ſpatio, hic ex Sudetis montibus, ille ex Colditiano nemore devolvuntur. Singuli infra mediocritatem fere ſubſiſtunt, tartuoſa faciunt itinera, & per præruptas ac profundas vias relictis altis ripis ſerpunt, & aquas tepentes, turbidas, fœculentas, guſtui ingratas vehunt, tardius moventur & in cœnoſa viſcida & pingui gurgite decurrunt, inde & piſces numeroſos, (imprimis Para,) alunt & ab urbis ſuburbiique ſordibus magis inquinantur, & ſi per æſtatem fervidiorem deficiunt aquæ, remanente cœnoſo limo, putridas exhalationes fœtoremque emmittunt, multas ranas, hirudines, & vermes generant & nutriunt. Igitur iterum iterumque hic optandum eſſet horum loco, purior & velox beneque poſitus & ob commoditatem & ob ſalubritatem fluvius, ut ſemper optatum eſt, ut Pliſna, Elyſtra, Vultavia, Albi committantur. Refert. Diog. Laert Empedoclem cum Selmunt. ex vicini fluvii fœtore peſtis exorta eſſet, alios duos in aquas illius corruptas miſiſſe, ut ex purioris commixtione, corrupta corrigeretur motusque ejus velocior redderetur, eoque ſolo medio ac remedio regionem a corruptione permanſiſſe immunem. Exploratum eſt, ipſos lacus, alias inſalubrem regionem reddentes, ſi currentes amnes eos percurrant, minus noxios eſſe. Aqua enim fluendo quam magnus & velox purusve fluvius trahit, & qui per terram arenoſam & remotam procedit, &c. ventos aërem ventilantes & purificantes movet, circa eos enim ſemper ſpirantem ventum quendam ſenties, quo nomine Nilus ſemper imprimis eſt laudatus atque ejus aquæ adeo magno in pretio ſunt habitæ. Cum aqua enim res propemodum ita ſe habet, ac cum aëre, ambo ex motu plurimum mutuantur ſalubritatis, ambo a vitio, quod remiſſo motu mox contrahunt vindicantur. Ex fluminibus etiam rapidioribus particulæ aqueæ ſubtiles ſub vaporum

ſpecie

ſpecie exfluxæ magis elevantur, quæ atmoſphæram humectando tempore æſtivo eoque ſicciore nimis, effluvia forte noxia & maligna, ſulphurea, volatilia actenuia egregie temperant, mutant ac figunt. Romæ inſalubris eſt omnis aër, juxta Tiberim autem habitantes, meliori fruuntur ſanitate. De cætero fluviorum ex meridie decurrentium mala conditio notatur ex Hyppocratis effato. vid. de a. a. & loc. cum ejusmodi aquam vehant ſalſam, craſſam atque male olentem, idem ſentit ac ſcribit Avicenna 2. p. d. 2. c. 16. Præterea fluvius, ſi imprimis lente procedat in cœnoſo gurgite, aërem auſtrinum per ſe inſalubrem effluviis humidis replet, magisque inſalubrem reddit. Ejusmodi quoque fluvii, qui tarde moventur ad inſtar aquarum ſtagnantium a ſole tepeſcunt facile, veloces & qui cum impetu magis ſuas undas trahunt difficilius; hinc Padus, apud Italos eo nomine audit male & Phaſin omnium lentiſſimum jam Hippocrates noſter damnat, referens accolas, totos pallidos eſſe atque inflatos. Aquæ dein & ſoli vitium, (ut obiter modo hoc attingamus) non modo inde in potum &c. ſed & in incolas aquarum, piſces tran ſit. Notiſſimum enim cuilibet eſt, piſces in aquis limpidioribus enutritos, ſvaviorem guſtui ſalubrioremque carnem & dapes menſis concedere iis, qui in aquis cœnoſis, viſcidis, turbidis, lentis, impuris & ſtagnis, piſcinis capiuntur, ſimilem enim dant cibum, ſimileque nutrimentum, viſcidum nimirum & craſſum, unde piſces fluviatiles, & imprimis ii, quos ſaxatiles vocant, communi ore ſaluberrimi & gratiſſimi habentur, imo differentia in carnibus, oculis ſtatim obſervari peteſt, v. g. eorum, qui Albi, Sala, Mulda, & Rheno capiuntur, longe eſt candidior, eorum, quos Spreha & Havela fluvii alunt, illi nam limpidiorem & claram, hi vero turbidam aquam vehunt. Ex hoc harum aquarum ſcrutinio antea indicato ſequitur facile indicium, qualis ſit indolis aqua, quæ in ipſa urbe, ubi tot latrinæ, cloacæ, & quotidiana impurarum aquarum proluvia, quorum humiditates redundantes tandem cum ipſis fontibus ſubterraneis commiſcentur, ac ſuburbiis ex ipſis puteis hauritur, aut per canales adducitur. Illa, ſi per noctem in vaſe ſervetur aut in olla coquatur, aliquid terræ calcareæ aut gypſeæ in fundo relinquit, hæc turbida, vappida

fœcu-

fœculenta & ſitu quaſi corrupta. Qui peregre ad nos accedunt & aqua noſtra ſe lavant, dicunt, quod ea hiſpidam quaſi cutem reddat; nec negari poteſt eam paulo largius & crebrius potam quosdam in ventre & hypochondriis flatus, imo tormina non raro excitare & ventriculum debilitare. Aliàs etiam hæc puteorum conſtructio a Medicis non probatur, qua tectis teguntur ac concluduntnr & per antliam hauritur aqua, ejusmodi enim ſubterranea, nec ſolis radiis pervia, ut deſes ſtagnansque minus ſalùbris cenſetur, & homines ejusmodi bibentes præſertim morbis & febribus putridis, hydropi, alvi profluviis, internis obſtructionibus, inflationibus, tumoribus, aliisque multis morbis obnoxios reddi. Hinc ab incolis ipſis unicus ſaltem puteus ſalubrem aquam diſtribuens, ille enim, qui ante portam Grimmenſem (der Bettel Brunn) conſpicitur, numeratur, quod tamen in comparatione aliorum intellectum volumus. Cereviſia tamen, quæ ex coctura ejus recipitur, non adeo culpanda, ac quidem vulgo ubique fieri ſolet, ſiquidem multas bonæ & ſalubris cereviſiæ notas poſſidet, ſi recens eſt, nec corrupta & acida, guſtui non adeo ingrata, cito per diureſin redditur, laxat alvum, appetitum excitat, nec caput offendit nec hypochondria; ac permultos ſcio, qui pro ſalubritate eam, excluſis multis aliis cereviſiis pro ſalubribus habitis, cum ſperata euphoria biberunt.

§. XII Ab oriente meridiem verſus, & rurſus ab occidente ad ſeptentrionem ſuburbia, modico diſtantia intervallo, ab ipſius urbis mœnibus ædificiis frequentia ſunt, interjacens ſpatium hortis aut pratis paludoſis complectitur, In occidentali lanienæ ſunt locatæ ac poſtrema pars ſeptentrionalis officinis coriariis relicta eſt. Quemadmodum enim ejusmodi ſordidæ officinæ ex neceſſitate extra urbem & ad flumen, ita & utilitate ſunt ablegatæ. Apud Romanos jam olim lege cautum erat, ut cerdonum officinæ extra urbem ultra Tiberim eſſent, ut ex Martiali conſtat L. 6. c. 4. aër enim ob tetrum odorem iis erat adverſus atque abomitationi, ea propter Judæi, qui ibi habitabant, ut Philo de Lege ad Cajum refert, male olebant, qua de re & locus apud Juvenalem notus eſt ſat. 15.

Nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tiberim ultra.

Præter ſordium enim putridarum & cadaveroſarum, quæ a præparatione coriarum conjiciuntur, quoque adipis, quo coria inunguntur, fœtor, viciniam replet atque inficit, de quo, & quod imprimis officinæ ejusmodi in medio urbis Lutetiæ Pariſiorum locatæ eſſent, conqueritur Palmarius in epiſt. & præfat. in Lib. de feb. peſtil. Ab his opificiis coriariis aerem infici & peſtem procreari etiam aſſerit Joh. Coſtæus. Dimerbrockius lib. II. de peſte p. 150. refert, obſervatum fuiſſe, peſtem nunquam in ulla alia Pariſiorum urbis parte gravius ſæviſſe, quam in qua ſordidi ejusmodi atque alii opifices habitabant. Sed uti alias habetur illud: ubi venenum, ibi remedium; ita & coriariis gratis naſcitur, quo corrigere aerem poſſent; ſegmenta puto e præparatis coriis, ungulæ & cornua, oſſa ſub arida, corii præparati præſegmina in ignem conjicienda. Licet eadem concremata fœtidos inſuavesque odores atmoſphæræ inferant, ideo tamen etiam illi ſalubres eſſe poſſunt, diſtinctione habita fœtida, corrupta, putrida, inter & inſuavia, ſic aſa fœtida, ſulphur accenſum, & pulvis pyrius fœtent, ſed proſunt, fœtidus plumarum aut ungularum fumus ſuffocationi hyſtericæ aliisque morbis ſpaſmodicis prodeſt. Variis in locis plebs habet expertum ejusmodi igni injecta illorumque exinde inſurgentem nidorem habitationes ſuas a peſtis lue tutas & ſalubres præſtare: imo arbitratur Ranchinus de purit. rerum p. 279. ejusmodi fœtida efficacius contagioſa effluvia depellere. De cetero Jenenſes referunt annales, urbem olim ex mactatis in ædibus atque plateis pecudibus ob fœtidos vapores & redundantibus copioſis aquis, quibus purgabantur, magnum ſenſiſſe incommodum, adeo, ut Div. Joh. Fridericus II. Saxon. Dux juſſerit An. 1551. demum extra urbem ad Salæ ripam communes lanienas locandas. Licet etiam per exhalantes e mactatis pecudibus quotidie ſpiritus animales, ſpirituoſæ aeris partes augeantur, quas ſi ſpiritum mundi, quem Hermes Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, Stoici affirmaverunt, vocare velles, jam non refragabor; laudabiles vero hæ a minus laudabilibus his ſuperantur longe. E re quoque eſſet, ſi &

aliæ

aliæ officinæ extra urbem proſcriberentur, ex quibus quotidie effluvia minus ſalubria & adverſa aëri accedunt, ut ſunt pellionum, & eorum, quæ candelas ſebaceas & ſaponem præparant &c. Per obſervationes enim conſtat penes has habitantes, & magis adhuc hos labores tractantes, inappetentia perpetua, nauſea & doloribus capitis, vertigine, oculorum rubore, reſpiratione difficili laborare, ac fœminas uterinis affici paſſionibus. Conf. Ramazzini de morbis artif. cap. 16. & Borrichius in Obſ. 86. Vol. V. Act. hafn. In hunc cenſum quoque veniant, qui chordas ex animalium inteſtinis præparant vid. Zachias Tom. I. lib. 5. 4. 97. Modo laudatus Ramazzinus verendas quoque habet Stannariorum & omnium eorum, qui mercurium tractant, opificinas. vid. p. 41. conf. & B. Ettmull. Colleg. Conſult. Caſ. 17. His adderem tabernas eorum, qui piſces induratos &c. & ſæpius corruptos, veteres caſeos item & lardum, adipem & ſebum vendunt, quæ ſane non commodum ſpirant odorem, quare & A. 1680. ad avertendam peſtem lege publica cautum erat, ne hæ tabernæ in medio urbis impoſterum eſſent locatæ vid. Vogelii Annal. Lipſ. p. 785. Nec ſine ulla ratione alibi macella in civitatis extremitate collocantur, quoniam Celeb. Lanzonius in Eph. German. N. curioſ. Cent. III. Obſ. 68. de morbis Lanionum loca ejusmodi ſuſpecta fere quoque reddidit ob exhalationes cadaverinas ex mactatis evaporantes. Inde fœdo faciei colore laniones tinctos eſſe perhibet & cachexiæ, hydropi, obſtructionibus viſcerum, ſcorbuto, ictero pertinaciſſimo, vertigini, pedum intumeſcentiæ, vomitui &c. obnoxios. Ejusmodi exhalationes cadaverinæ, licet exeant, recenter mactatis animalibus, nocivas tamen gratioſiſſima Facultas noſtra Medica Lipſ. eas eſſe dixit. vid. B. Ammanni Med. Crit. Caſ. 82. ubi de pellibus recenter abſtractis res agitur. Si igitur pelles modo abſtractæ, in quibus pauciſſima carnis & pinguedinis quantitas ſupereſt, putredinem concipiens, ſuſpectæ, ea ratione ſint, multo magis eſſe poſſunt adeo multa animalium cadavera in macello per plures dies imprimis tempore æſtivo venum expoſita.

§. XIII. In ſuburbii orientalis parte extrema cœmeterio pro exportandis funeribus locus, optimo conſilio, ut decet, conceſſus eſt, pauciſſima enim funera intra mœnia aut in ipſis templis humantur. Effluvia nam ex ſepulchris inprimis non ſatis profundis & eorum frequenti apertione exſpirantia non poſſunt eſſe non nociva. Si enim in ſimplicibus cavernis & locis diu concluſis aër inibi corrumpatur, quod pauco & concluſo accidit facile, adeo, ut apertis eis, venenatus halitus exhalet, cujus rei notabilia exempla legere quis poteſt apud Julium Capitolinum in Vero & Gvainerium de peſte Cap. I. num. III. magis aër in ſepulchris diu concluſus & iis apertis exiens putridis miaſmatibus refertus erit ejusmodi. Damnum hoc certius exſurgit, ubi ſepulchrorum ſpiraculis exitus in cœmeterium aut in ipſas ædes ſacras conceditur, quod ubique plane abeſſe deberet. Refert Screta Tract. de febre caſtrenſ. Sect. I. §. 5. p. m. 72. quosdam curioſitate ductos ſubterraneas Romæ collapſorum ſepulchrorum ſpeluncas intus videndi, a fœtidis exhalationibus fuiſſe necatos. Hanc cauſam & ulterius exponit Celeber. Muraldus colleg. anatom. lect. 3. p. m. 58. ſeq. Namque in templis ejusmodi & cœmeteriis ſæpius putridus fœtor nares offendit, licet & non is ſemper eas feriat, ea tamen eſt multorum effluviorum vis, ut per multa notiſſimum eſt, quæ afficiat, modo non perceptibili ſemper, hinc refert Ramaz. de morb. artif. c. 18. p. 128. quod nullum ſenem veſpilionem viderit. Salutis ideo publicæ intereſt in urbium interioribus & templorum pomœriis, multo minus in ipſis templis ubi magna hominum concio convenit locum ſepulturarum non dare. Ea propter merito Lilius Gregorius Gyraldus Ferrar. de variis hum. modis cap. 5. conſvetudinem notanter taxat funera in templis humandi, cum olim loca iſta ſub Chriſtianæ imprimis religionis initiis ſolum, martyribus relicta eſſent. Nec deſunt, qui autumant adverſus hic odor ut pellatur, morem illum Romanenſium introductum eſſe in templis thure & myrrha ſimilibusque ſvave olentibus vapores excitandi. Nec minus veteres Romani hoc in paſſu cautiſſimi erant, ut ex monumentis hiſtoricis, & ex lege 12. tabul. in urbe ne ſepelito, eſt notum. Nam Imperatoribus ſaltem

apud

apud eos, virginibus veſtalibus, & viris de patria optime meritis, famaque clariſſimis, vid. Gruter. P. 460. No. I. locus lege publica erat conecſſus, ut vetus marmor monſtrat. Quæ lex a Theodoſio M. v. eod. de ſepulch. violat. L. 6. eſt repetita, & a Concil. Bracarenſi 1. can. 18. A. DLXIII. ſancita. vid. Spanheim Hiſt. Eccl. p. 1081. Apud alios non minus hoc obſervatum eſſe ſcimus, ſic legimus in ſacris Bibliis, filium viduæ demortuum, cui noſter Salvator reſtituit vitam, extra urbis portam portatum fuiſſe. Atque ipſe Chriſtus in ſepulchrum in horto extra urbem repoſitus eſt. In iisdem legimus Abrahamum locum ſepulchri emiſſe in agro, quo omnes Patriarchæ ſepulti eſſent &c. Quid? quod ut ad rem, Lipſiamque redeamus, cui ſimile accidit. Refert enim Peifferus in Lipſ. Lib. 4. p. 508. de obſidione A. 1546. facta ſequentia: „Moris erat, ne terram hyberno frigore tum „aſperam magno labore ſæpius aperire neceſſe eſſet, ut quolibet „die unam tantum eamque grandem foveam in Paulinarum „ædium veſtibulo, quod vicum Grimanum reſpicit egererent, „in quam ſimul omnium quotquot illo die aut mortis aut ho„ſtium telis abſumti eſſent, mortua corpora componebantur. „Unde factum eſt, ut comulo cadeverum de foſſorum humo „non ſatis alte ingeſta contecto, æſtivis deinde diebus ingrata „dulcedine noxius quidam putreſcentium corporum halitus, „ſolis excitus radiis, ſpiraret, neceſſitasque afferretur, Paulina„rum ædium procuratoribus, locus illum ad tres & amplius pe„des terra aggeſta attollendi. Unde aream illam in altitudinem „creviſſe nonnihil etiamnum hodie animadverti poteſt. Ad hoc notatu adhuc dignum mihi epitaphium Celeberr. Verheyenii propria manu ſcriptum, ac pro omni teſtamento relictum, videtur, uti eſt videre Anat. C. H. ſecunda edit. compendio vitæ addito, quod ejusmodi eſt: „P. Verheyen Med. „Doct. & Prof. Partem ſui materialem hic in cœmeterio condi „voluit, ne templum dehoneſtaret aut nocivis halitibus inficeret. „Requieſcat in pace. Re itaque ſe habente, Lycurgus Spartanorum Legislator ſapientiſſimus ex alio cum Plutarcho laudandus vid. Par. Lib. I. p. m. 97. quod ſanciverit, ut, omni ſuperſtitione ablata, mortui intra urbem humarentur, monumentaque po-

nerentur prope templa, ut sc. hujusmodi spectaculis adolescentes adsvefierent, & ne mortis recordatione perturbarentur, neque eam exhorrerent.

§. XIV. Undique extra urbem ædificiis interdistincti sunt horti amœnissimi atque nitentes in magnum ornamentum magnamque civium peregrinorumque ad nos iter facientium voluptatem, quorum non alibi facile major reperitur copia, atque non modici modo, quales Platonis olim aut Catonis fuerunt, panduntur, sed & plures maximam admirationem tibi movebunt, ejusmodi, qui omnium deliciarum sunt sedes, & quos Adonidis aut Alcinoi Hesperidumque Boeticis vel Corcyræis viridariis similes forte esse dixeris, quique vel in media hyeme veris opes & gratias atque amœnitates monstrare & oculos pascere atque exhilarare naresque recreare possunt. Qua vergit ad orientem extra suburbia amplum agrorum spatium olitorii horti complectuntur, in quibus olera, legumina, plantæ, herbæ, radices edules seruntur, coluntur ac irrigantur. Quæris, an copiosi horti salubritati etiam aeris conducant, aut an aer in hortis ac circa eos sit salubris? De his constans multorum, Autorum est sententia, copiosos eos maxime in loco & aëre humido, tepido, crasso, impuro, ad oblectamenta concessos minus salubrem aërem reddere ob fimum ibi coacervatum diutius non raro servatum & stercorationes plantariorum frequentes atque pulvinorum, ut enim Galenus 3. Epid. 1. conc. 14. loquitur, cloacas latrinasque in hortos repurgant. Hanc in rem notabile est, quod Hesiodus stercorationes agrorum circa urbes damnet, ratus magis salubritatem aëris quam fertilitatem esse spectandam. Subsunt quoque aliæ causæ insalubritatis, æque si non magis verendæ, ut zizaniæ, lolii, olerum, leguminum recrementorum, variorum vegetabilium in hortis rejectorum cumulatorumque putredines, qua de re funestum exemplum refert A. Lusitanus cent. 3. curat. 814. Annumerantur his ab iis quotidianæ repetitæque irrigationes, quibus aëri humiditas inducitur, quare aërem eo nomine hortorum insalubrem Galenus pronunciat, siccioribus vero naturis convenire eum Fidelis de Relat. Med. cap. 5. p. 41. scribit. His addunt multi cultu-

culturam vegetabiliorum noxiorum, ut buxi, taxi &c. quam tamen utpote in regione temperata soloque subhumido nos adeo vix amplius timemus ac ne manducata quidem. Nec prorsus secundum alios alienum est, aerem in ipsis hortis eo modo etiam esse insalubrem, qui earum respicit positum, ad fœcunditatem enim facit positus hortorum versus meridiem & occidentem, quarum vero plagarum adspectus sanitati contrarius est, septentrionalia & orientalia latera, quæ saluberrima ob frigiditatem plantis contrariam utplurimum vario modo vitilibus, dumis, vepribus, arboribus proceris &c. conteguntur, auraque reficiens impeditur & avertitur. In specie quoque eos suspectos magis habent hortos, quibus permultæ insunt pergulæ aut ambulacra, quorum parietes ex dumis aut vepribus superne committuntur ad radiorum solarium molestiam mitigandam, quia vapores ibi retinentur diutius. Addere quis posset, quod examina insectorum frequentissima habeantur ibi & quod ex Anglorum sententia, sub maturatione fructuum horæorum effluviis multis fermentescibilibus, acidis, atmosphæram implerent, quæ ad humores perducta similem motum inducerent iis, unde inprimis dysenteriæ, diarhææ tunc temporis frequentissimæ & epidemiæ evenirent, quibus, qui in hortis & circa eos habitant, propius certiusque corriperentur. Insuper hortulani morbis multis, febribus putridis atque malignis, purpuris, cachexiis, obstructionibus viscerum, hydropi, doloribus capitis, dentium, paralysi atque similibus obnoxii observantur. Conf. iterum Ramazzinus de morb. artif. cap. 40. Simile observatum reliquit P. Zachias P. Q. M. lib. 5. tit. 4. Q. 7. Conf. & modo adductus Galenus 3 Epid. com. 14. Eo & eorum collimat commentatio, qui 3. Epid. com. 13. notant, Hippocratem notanter addidisse, ægrotum in Dædalcis horto habitasse. Idem sentiunt ac scribunt JCti prohibentes, ne quisquiliæ olerum, leguminumque putredines habeantur. Vid. Stryk. de Jure sens. Diss. 5. n. 35. sq. His pariter jungunt similia in vicinis aquis macerationem lini aut cannabis (cujus tamen apologiam Paschalius inf. lib. 2. de cur. morb. scripsit) aut sparti & fimi intra ædes retentionem. Conf. & sæpius adductus atque laudatus

Ramaz.

Ramaz. l. c. Schenckius Obſ. lib. 7. obſ. 8. de febr. Kircherus ſcrut peſtis Sect. 1. §. 1. ut & Sim. Pauli in quatripart. botan. Petr. a Caſtro punctic. aliique plures.

§. XV. Ejusmodi equidem allegantur ad aerem hortorum ſuſpectum reddendum, ſed juxta illud quod in liberiori aere ſint locati, ſubeſt ipſis in hortis quoddam, quod aerem quoque, ſi minus etiam laudabilis ſit, ſalvare ac corrigere poteſt: Arborum, herbarum, florumque ſuavium & præſtantium fragrantiam, aurantiorum, limoniorum, rorismarini, caryophil:, jaſmini, roſarum atque lauri &c. Vid. Verulam. h. n. p. 954. (ex cujus arboretis ſalubritas aeris Antiocheni collecta eſt,) atque ſimilium, quorum oris atque temporibus noſtris frequentiſſimus jam uſus eſt, imo omnium vegetabilium gratum odorem, qui quidem non ſemper percipitur, bene vero a pluvia & imprimis mane veſpertino & vernali tempore, ſi nominaverimus rem ipſam certe indicavimus. Commemoremus porro repercuſſionem aeris ac ventilationem per arbores a parietibus, quibus circumdantur ac defenduntur, horti maxime, ſi vepres in altum aſcendant, aut ſi ad ſepta arborum ſeries ſint poſitæ, aeris acceſſum admittentes vehtilationemque juvantes, ibi enim putaret quis ventum ſemper lenem in partes ſpirare oppoſitas. Quæ præponderent rationes, videat æquus Cenſor. Eſt & alia aliqua adhuc ſalubritatis cauſa, quæ obtinetur fodiendo terram, ex qua, ſi ſolum ſolidius ſit, & macrum magis, ſalubris atque reficiens odor in auras exſurgit, facile perceptibilis maxime iis, qui in terram procidunt & aliquantum manent ibi, ex quo vegetiores agilioresque, cibumque appetentes ſurgunt, quo nomine imprimis humus Ægyptiaca præclara eſt. Plura vid. apud. Fer. Imper. Hiſt. nat. p. 289. Hinc imprimis aſthmaticis & phthiſicis conferre probat Baglivius ſuadens ipſis ut arva colant iidem, vid. oper. p. 387. & Baco de Verulan. H. N. cent. X. p. 954. ubi viri ampliſſimi meminit longævi, qui mane ſemper ex gleba recenti pura odorem excepit. Mihi nondum memoria excidit, me in novellis Gallicis ante aliquot annos legiſſe, Regem Galliarum Lud. XIV. forte mortalis vitæ faſtigio haud contentum ex multis per multa expertum, nullum genus hominum iis, qui terram cole-

colerent foderentque esse vivacius, in horto, qui Versaliæ est, ejusmodi labores exercuisse quotidie.

§. XVI. Ut nostra contemplatio non debet saltem intra urbis suburbiique mœnia, aggeres, maceries, vacerras plancasque claudi, ita & in patulo campo spectanda est conditio rerum secundum Hippocratis præceptum, volentis, ut universa terra consideretur, nudane sit, an arboribus consita, an densa, & aquosa, an aquis carens, & an concava sit, & æstuosa, vel alta & frigida. Urbem igitur eaque quæ ea complectitur loca, paulisper relicturi, nos statim vel invitos invitat & allicit amœnum illud Lipsiense nemus, sive illa, quæ a parte occidentali urbi proxime jungitur sylva, (der Rosenthal dicta) ad meridionalem & septentrionalem plagam arboribus proceris varii generis quercubus imprimis densa, serie obsita, dumis ac virgultis copiosissimis intercrescentibus opaca atque umbrosa & in magnum spatium longitudinem multo magis quam latitudinem extensa. Ad australem regionem qua unius horæ itinere itur hanc rursus, ad occidentem protensam iter facientes offendunt. Sylva hæc, licet magnum oblectamentum Lipsiensibus afferat, in solo tamen cœnoso, humido, (quod ordinario arboribus dives est,) ac palustri aerem spissum, humidum, suffocatum, a sole minus illustratum, turbidum, gravem & corruptum reddere magis potest, si eam medica censura feriat: Sub sylvarum enim umbra variis exhalationibus ex soli indole excitatis, nec attenuatis, nec dispersis aer imbutus manet, namque & ibi hyeme, nive liquescente, vere, autumno vero maxime ex pluviis frequentibus humiditates diutius subsistunt, lacunæ fiunt cœnosæ, neque facile exsiccantur, sed sensim aere calidiori accedente putredo concipitur, quæ putredinosæ particulæ, per totum fere, (utpote in loco depresso condensoque,) annum ibi detinentur & ad civitatem vento semper imprimis ex occidente superveniente feruntur. Per sylvas etiam nebulæ non ejiciuntur, & ubi commorantur nebulæ, ibi & aer & aqua nocent. Insuper & in vulgus notum est, loca ejusmodi sylvis altis densisque interdistincta frequentioribus humectari pluviis aere humido circa illas collecto, allisо, compacto, circumacto. Sic observasse refert

Excellentiſſ. & Clariſſ. D. G. E. Stahlius in introd. in nov. Meteoroſcop. cap. 9. p. 75. Circa Martisburgum & Lipſiam ſæpius pluvias decidiſſe; Halæ vero minime. Memoriæ proditum eſt paſſim, Antiquis in uſu fuiſſe poſitum, aerem ſylvarum ſucciſione purgare. Atque hodie adhuc loca paludoſa optime corriguntur, ſi opacæ ſylvæ demantur & per canales aperto perpetuo liber aquarum decurſus inſtituatur. Equidem ab aliis nec effluvia ſolum a ſoli vitio accuſantur, accuſantur quoque ea, quæ ab arboribus proveniunt ipſis in ſylvis creſcentibus. Sic de quercu forte, quæ numeroſiſſima hic ineſt quibusdam cauſa ſuſpicandi quædam erit, Helmontio qui credunt referenti vid. Tim. peſt. p. 52. ex numeroſa quercu in ſylva quadam exiſtente aerem aliquando lintea in proximis ædibus ſpirante auſtro, colore imbuiſſe flavo. Conf. & Dioſcorides L. 4. c. 24. Bauhinus Inſ. plant. L. a. c. 3. an autem prægnantem cauſam adeo habeant, videant ipſi, & annon numeroſa in ſpecie quercus effluvia potius ſalubria communicet, de qua exempla ex Paulini erbaulichen Luſt. p. 543. ut & detilia, quæ hinc inde haud raro luxuriat, de qua & urbs noſtra quondam die Linden-Stadt nominata eſt, petantur. Aſt ut offendiculum ita & juvamen aliquod aeri noſtro addit hæc ſylva, nimirum, quod ea proferat ac alat magna in copia allium præſertim ſylveſtre, adeo ut & aerem per totam æſtatem odore ejusmodi impleat, cujus ſale volatili proficuo aer ambiens ex parte corrigitur, & quod magnum in ſpatium longe lateque extenſa proceris atque frondoſis arboribus frequens ventos occidentales & meridionales nobis inſaluberrimos ex parte avertere poſſit. Si & paulo elatiori loco locata eſſet, ſimul ventorum orientalium & ſeptentrionalium circa urbem agitationem reflectendo eos ut replicato motu peterent eam, augere poſſet commodius & utilius. Seorſim hic memoratur, ut quoddam in noſtra humo rarum, ſylva nempe abietina, hyeme quoque virens, quoniam in ſiccis, arenoſis & montoſis creſcunt locis, ad ſeptentrionale latus prope Breitenfeldiam clade Cæſariorum quondam nobilem ſita, quæ reſinoſa, balſamica adeoque ſalubria effluvia in viciniam mittit, vix vero tanta eſt, quæ aeris per ventos ſeptentrionales ventilationem impedire poſſet, neque vepribus & virgultis intri-

intricata, sed, ut abietum indoles est, earum cacumina sursum ascendunt, ut stemmata aerem transmittant liberius.

§. XVII. Situs cœterum, si ulterius in nostra contemplatione & consideratione procedamus, universæ urbis licet undiquaque per multa milliaria obtineat planitiem, liberos aëris agitationes admittentem depressior tamen ratione vincinorum & circumjacentium locorum, licetque ipsa in acclivi paulo loco posita sit: Si enim quis undique se convertat oculis, aut iter instituat, elatiorem sensim regionem videbit, excepta sylva, hæc quousque etiam protenditur, humiliorem propemodum præ ipsa urbe obtinet situm. Depressior ejusmodi ac declivis situs, humiditatum collectioni atque effluviorum, cum aëre majori commistioni difficiliorique ejectioni famulatur, atque aër ejusmodi in locis quasi concavis a sole contactus calidior est aperto nec eo tamen minus densior tanquam minus purgatus. Attamen is vix tantus est, qui aërem penitus concludat aut intercipiat adeo notabiliter, aut radios percutiat solares &c. Insuper ex modo adductis & ex modo adducendis fit palam: Lipsiam ob situm suum hyeme habere solem, æstatē ex parte umbram, quæ pro optima locorum conditione semper est habita. Unde Varro L. 1. de re rust. c. 12. qui villam suam ad orientem posuit conversam dixitque se habere æstate umbram, hyeme solem.

§. XIIX. Evenit præterea, quod quotannis nec unica saltem vice præterfluentes fluvii circumjacentem declivem occidentalem & septentrionalem regionem inundent, quando a copiosis pluviis aut nivibus liquescentibus, aquæ ex altioribus & remotioribus locis, ex quibus affluunt, redundant in campos Lipsienses & maxime in prata adjacentia ibique persistunt diutius, ordinario autem totum latus sat spatiosum pratense & tantum non paludosum ad septentrionalem plagam & orientalem usque excurrentem (die Gerber-Wiesen) per totum autumnale, hyemale vernaleque tempus aqarum colluvie inundatur. Quæ in solo per se palustri atque cœnoso pessima est conditio, stagnantes aquæ effluviis lentis ejusmodi replent atmosphæram & inde eo magis ipsa stagnatione ac mora pejores

redduntur. Tunc & gramina non ſolum pro fœno deſecta non exiguo damno corrumpuntur, ſed & ſolum mucagine cœnoſa obducitur, unde tandem putredinem concipit tellus, ingratumve fœtorem de ſe ſpargit & putridis exhalationibus, quibus nihil nocentius, aërem inquinat, ex quo putridi, maligni morbi facile procreantur neque alio tempore apud nos magis ingruunt iidem. Dicto faciunt fidem, inundationes frequentes Nili (ſaluberrimi alias fluvii) totam regionem inundantes, frequenter peſtem inferentes, ſi diu nimis, in terra etiam licet ſalubri perſiſtant, ut paludoſa exinde fiat & putrida tellus, & venti auſtrales aut æſtus accedant, ut immodicis vaporibus aqueis repleatur aër, & putridus evadat. vid. Dapper in Deſcript. Africæ p. 127. ſeq. Atque inundationibus ejusmodi atticam peſtem adſcribit Diodorus Siculus Lib. 12. Ab allis multis obſervatum eſt per aquarum inundationes frequentes & magnos morbos ſubnaſci imo novos atque malignos prodire, cujus rei exempla poſſunt legi apud Bonfinium Decad. 1. L. 8. Bened. Sylvatic. Conſil. 14. cent. 1. Montanum Eph. G. N. Curioſ. anno IX. ex Ramazzini obſerv. Pechlin. obſerv. XVII, Cober. de morb. caſtrenſ. D. III. obſ. 5. Foreſt. lib. VI. de febr. & morb. epid. graſſant. p. 162. Lanciſ. tr. de noxiis palud. effur. Livium, Valerium Max. &c. Ab excell. atque longe celeberrimo D. Frid. Hoffmanno, recenſitum habeo, D. Schæfferum Practicum quendam Magdeburg. ſolertiſſimum ex ventis orientalibus per inundationes Albis ad urbem Magdeb. accedentibus, purpuras petechias, atque ejusmodi febres exanthematicas atque malignas copioſas brevi inſequuturas prædixiſſe obſervationibus per multas annorum ſeries factis. Hinc omnes illæ civitates maris fluminumq; inundationibus ſubjectæ, frequentem patiuntur peſtem, ut Roma, Venetiæ, Ancona, Conſtantinopolis, Smyrna, Cairus, Alexandria & circa univerſum Archipelagum, totus item Danubii propemodum per Hungariam tractus, &c. Peſſima circa has inundationes quoque cauſa eſt, & incolas proxime lædit, ſi aquæ inundationes in domicilia, in hypocauſta ac cellas redundant adeo, ut aquis tota ſæpius repleantur hæc loca, cui incolæ ſuburbiorum Halenſis & Ranſtadienſis maxime

ſunt

sunt subjecti, quoniam variæ simul quoque impuritates ex sterquiliniis &c. eo abripiuntur longiusque ibi subsistunt, & recurrentes udapavimenta ac parietes relinquunt ex quibus locis prodeuntibus vaporibus tetris, aër certius citiusque corrumpitur & corporum transpiratio adeo necessaria præpeditur. Hanc ipsam non minimam esse causam suspicor nullibi urbis nostræ locorum frequentiores esse morbos incolis familiares ex putredine maxime oriundos & præsertim febres eæque varii generis acutæ, purpuratæ & chronicæ, apoplexias, paralyses soporosi affectus, pectoris destillationes, tusses, phthisis, pleuritides, peripneumoniæ, rheumatismi, arthritides & similia mala, frequentioraque funera quam his ipsis in locis, maxime si post ejusmodi colluvies venti frigidi flaverint.

§. XIX. Cum regio ipsa universa plana undique pratensis & ad orientalem & septentrionalem plagam fere campestris nuda atque aperta sit, calidior ideo censetur merito atque minus tempestatum variationibus subjecta, quibus obnoxia maxime sunt loca, quæ circumpositos habent montes. Cæterum tamen amœnissima & adspectu perjucunda est, quoque te vertas objecta variarum rerum facie acceptissimus tibi conceditur prospectus mire oculos mentemque delectans ac recreans, & quæ spectatores moratur. Pulcherrimum sane spectaculum virentissimam planitiem longe lateque patentem variisque quæ summa voluptate afficiunt, interdistinctam videri. Visuntur viridaria ac horti lectissimi, visuntur gemmantia prata, Hipponiensibus Brutiorum aut interamnæis in Umbria laudæisque apud Insubres graminum florumque ubertate haud inferiora, fluctuantes segetes, pascua, læta nemora, quæ Lucania nemorosa his vix potiora ostendet, visuntur fluvii, qui proserpendo regiones ambiunt ac rigant amœnitatemque augent &c. Attamen non quoq; negandum, magna ex parte eam esse uliginosam & paludosam in meridionali & occidentali præsertim regione & non ad unius saltem milliaris spatium. Talis palustris regio juxta alia jam indicata etiam ob aëris inæqualitatem insalubris, nam circa meridiem calidior aër est, circa vesperam & per noctem imprimis autumno frigidior, quo nomine ideo etiam Hungaricus aër male au-

le audit. Ad orientalem vero plagam ſtratis interſtincta eſt tellus firmioribus, arenoſis, ſiccioribus. Hinc vere præſertim & autumno matutino veſpertinoque tempore fumi craſſi & nebulæ frequenter apparent. Regio atque talis inſalubrior eſt, ſi ad occidentem & adhuc magis ſi ad meridiem libere magis expoſita ſit, quoniam ventorum per ſe inſalubrium, (quia nimirum humidi) per has oras ſpirantium augetur inſalubritas, ut per ventos earum particularum atmoſphæræ inhærentium: Venti enim agitatione ſua magna moleculas ſalino ſulphureas, ſi quæ jam adſint acuunt ac illas cum reliquis corporibus hominum altius invehunt inprimuntque. Ideo e. g. eo nomine in Latio loca ob pomptinas paludes ſuſpecta ſunt maxime, atque omnis tractus in Italia ab Hiſtria Ravennam usque, Samnii item regio campeſtris & tractus Beneventanus circa Teleſiam, in Apulia circa Salapiam, in Campania Romana, Oſtia & Terracina &c. potiſſimum autem ager Patavinus, qui æſtivo temporere fere lethalis habetur vid. Donius de reſtit. agri Rom. ſalubr. p. 86. Ob hanc ipſam cauſam Hungaria inſalubris quoque cenſetur. Ea propter & Fr. Valleriola Locor. Com. Lib. 2 p. 311, civis Arelatenſes adeo impenſe hortatur ac movet, ut paludes incolis infenſiſſimæ adjacentes exſiccentur, animum curamque intendant omnem. Hinc non adeo mala inventione, peſſima tamen profecto intentione Clearchus Tyrannus, ut cives occulto crimine tolleret e medio, ſub media æſtate educens exercitum caſtra civium in plano paludoſoque loco, militum vero in altis, umbroſis, horridis aſpectu montibus poſuit interfluentibus aquis, longiusque expugnationem protraxit, donec cives exorientibus a vitio loci morbis perdidiſſet ſuos, notante Sabellico Lib. 8. Aër quippe frequentius omnium a vaporibus ejusmodi qui continue ex paludoſis locis exſpirant, humidis craſſeſcit, qui inter mixtas ſæpius fœdas habent impuritates ſalino ſulphureas, acres, malignas, corruptas, putridas, ex variis exhalationibus certis temporibus per mixtionem productas, & per reactionem forte exaltatas, calore ſolis intenſo. Cujusmodi illæ ſint, apparet, dum rores atque pruinæ quandoque arborum atque plantarum fœcunditatem perdunt eisque variegatas

tas maculas inurunt & eas corrugant, corrumpuntque. Magis hoc confirmant obſervationes, referentes deguſtata vegetabilia tali nocivo rore, (qui frequens locis calidioribus & humidis Hungariæ, Siciliæ, Hiſpaniæ & Indiæ eſt) atque pruina imbuta, labiis atque faucibus ulcuſcula. & nudis pedibus contacta, puſtula excitaſſe. conf. Miſc. N. C. Dec. III. an. 9. Obſ. 93. Hinc & nebulæ non raro odore gravi fœtido infectæ habentur. Nullibi etiam adeo multos morbos endemios & epidemios ſcorbutum maxime & alios ſimiles imo malignos videbis, quam in locis declivibus paluſtribus, denſis ſylvis frequentibus &c. Atque adeo aër pratorum inſalubris cenſetur. conf. Ramazinus de morb. artif. c. 40. a quo varii morbi eorum, qui circa prata habitant memorantur. Experientia vero exploratum eſt, paludes ſi exſiccentur & aquæ paluſtres deriventur, redire regioni & emendationem aëris & ſalubritatem, teſtatur hoc P. Sal. Diverſ. de ſua patria & Th. Jordanus de peſt. phœn. tr. 3. c. 2. de agro piſano.

§. XX. Ex alio aliud ſequitur vitium. Per regionem enim uliginoſam fungorum & fœtidarum herbarum copia eſt ac non ſolum ranarum bufonum &c. multitudine ſcatet ea, ſed & muſcarum papilionum, aranearum, erucarum, locuſtarum & culicum aliorumque vermium magnus eſt ea propter proventus atque ejusmodi inſectorum denſa colluvies & intra ædificia ſpeciatim & cimicum præſertim magna propago, qua cubilia præſertim infeſta ſunt. Ex inſectis ejusmodi campeſtribus fila meteorica vulgo dicta procedunt, quæ paſcua ſæpe animalibus noxia reddunt, quæ hic magno numero majorique quam qui alibi videtur, verno autumnalique tempore circumvolitant, arboribus plantisque adhærent, quæ quidem a Phyſicis vulgo ex ſoli glutinoſi fibroſis particulis coaleſcentibus adſcendere dicuntur, quod tamen conceptu difficilius eſt; Mihi vero ex propinquo examinanti obſervare licuit genus eſſe inſectorum, minutiſſimarum araneolarum quæ in agris ejusmodi atque pratis per gramina & ſtipites &c. telas ſuas arachnæas texunt ducuntque, quæ a ventis dein abripiuntur perducunturque hinc inde. Terra enim ejusmodi uliginoſa, non modo ſi armatis inſpiciatur oculis,

oculis, copiosa foliorum, seminum, florum, caulicum, radicum, herbarum putrescentium se istis congeries sistit, conf. Leighius Actis Erud. Lipsi. Ao. 1701. p. 512. sed & tota scatet vermibus, quod experimento fit palam, si hyeme frustum in calidum deportetur hypocaustum. Insectorum vero & malorum animalculorum copia quæ in regionibus paludosis ut v. gr. de Hungaria habetur frequentissime invenitur notam aëri haud bonam imprimit quod Verulamius exponit vid. Oper. p. 923. ea propter etiam Roma ac in Hispania Valentia sunt famosæ. De Hungaria modo nominata mihi in mentem incidit, me aliquoties legisse, ibi in certis præsertim locis ad Danubium sitis muscas invenire in magna quantitate, adeo venenosas ut si equos aut boves ictu læserint, eorum corpora præter modum inflari & intra paucos dies mori & si muscatalis quidam aures aut nares irrepserit, animalia extemplo interire. Certissimum signum diu habitum fuit insequentium morborum, malignorum imo non raro pestis &c. quando ingentia insectorum examina observata sunt. Testimonia petantur a Joh. Damasceno aph. 132. Riverio obs. 9. p. 697. Verulam. oper. pag. 923. Valeriola obs. Lib. II. p. 95. Hæc cuncta sale caustico gaudent & aërem similibus nocivis imprægnant particulis, atque juxta alia mala phthisin dein præsertim inducunt facile, quod exemplo eorum probatur qui bombyces alunt & serica tractant. Hæcque in plantis copiosissima ovula ponunt, quæ dein homines iisdem manducatis simul in corpus assumunt. Major adhuc aëri labes impendet si moriuntur & putrescunt ranæ, locustæ &c. cujus exempla passim reperiuntur multa, vid. Petrus á Castro de pest. Neapol. & Genuens. p. 43. seq. Ipsæ sacræ literæ memorant quoddam Exod. cap. VIII, 14. Augustinus lib. de civit. Dei cap. 31. & Orosius lib 5. cap. 11. scribunt, in Numidia a locustis mari demersis & inde a fluctibus in littus rejectis pestilentiam ortam esse, quæ ingentem hinc inde hominum stragem edidit. Notabile illud est, quod annales nostri referunt de magnis insectorum examinibus ex Lithuania venientibus An. 1542. & Poloniam, Silesiam, Misniam &c. infestantibus. In recenti erit memoria magna illa locustarum copia An. 1693. Misniam, Thuringiam, Voigt-

Voigtlandiam &c. pervadens, quam insequentibus annis multi morbi maligni atque petechiales insecuti sunt. Hinc naturæ consulti autumant (ut obiter hoc adjiciam) ex Dei sapientissima providentia singulari, aves quasdam hirundines, rubeculas, corrucas, passeres &c. culices, muscas aliaque ejusmodi insecta captantes esse creatas, ut aërem iis purgarent.

§ XXI. Solum quoque de reliquo reliquum omne pingue est atque fœcundum & alendis frugibus mite, nusquam hic steriles dominantur arenæ, unde agri feracissimi & ruris fœcundi, dives ibi copia, quæ pleno fluctuat arvo & concredita quæque semina multiplici reddit fœnore, nec interquietii (ut ajunt) unquam indigent, quæ etiam loca semina non ferunt, pabulis opimis vigent atque luxuriant, ut ter quaterque falces patiantur. Felices ideo agri Lipsienses felicis Arabiæ parum secundi aut Ægypti, Campaniæ, aut Siciliæ. Arboribus insuper fructibus, plantis & herbis varii generis frequens nostrum est solum. Lucrosum idcirco quidem est ac ea propter quidem merito laudandum, sed & ob hoc ipsum non adeo salubre censetur, ut ex contrario arenosum, aridum, montanum & sterile quidem, sed salubrius magis habetur. Id testantur Africæ regiones vid. P. du Val. Geogr. General. P. I. p. 210. &c. & in nostri Orbis Terrarum parte Marchiæ Brandenburgicæ, Voigtlandiæ, Helvetiæ, Rhetiæ septentrionaliumque climatum incolæ, qui præ aliis Europæis juxta Anglos & Gallos sunt sani, robusti, atque longævi. Quippe talis viscosa & humida humus corrumpit aërem effluviis viscidis, lentis, humidis, crassioribus suis Hinc Sardinia Insula ut fertilissima laudatur, culpatur vero ut pestilens. Hinc Romanæ Eloquentiæ Parens Cicero Q. Fratrem monet, ut valetudinem curet, memor, quod cum optime valeret, tamen eum in Sardinia esse. Atque in epistol. Tigellium quendam Sardonum hominem esse ait patria sua pestilentiorem. Atque ejusmodi mitis terra æstate & tempestate sicca facile ac cito aërem copioso pulvere replet. Ex soli deinceps (ut obiter saltem hoc moneamus) indole ut aëri ita & frumentis oleribusque herbis plantis arborum fructibus imo animalibus & cibis, per consequens quoque qui exinde parantur, vitium etiam

ſubnaſci patet, v. gr. de paſcuis agro Lipſienſi interdiſtinctis hoc in vulgus notum eſt, oves in iis enutritas ut viſcidioribus & pinguioribus intra 3. annorum ſpatium ulceribus pulmonum & hepatis non raro vermiculis copioſis ſcaturientibus morte interire (ſie freſſen ſich faul) ex quo indicio quondam quidam inſalubritatem regionis æſtimabant, Vitruvius enim ita ſcribit: „Veteres oppida & ſtativa caſtra condituri inſpiciebant jecino„ra pecorum, quæ paſcebantur in his locis, quæ ſi livida & vi„tioſa deprehendebant, ſolum vertebant, aliò commigrantes. Atque ex agris uliginoſis, limoſis, inquinatis & viſcoſis vegetabilia ſuccreſcunt, quæ ſimile nutrimentum deinceps concedunt. Cibi enim exinde parati ob frigiditatem, ut dicunt, ac humiditatem maxime ſunt inſalubres. Sic fructus, qui circa Phaſin fluvium in Getarum regione naſcuntur, omnes inſalubres eſſe dixit Hippocrates lib. de aëre, aq. & loc. conf. Ferrandi imperati Hiſt. Nat. Lib. VIII. c. 12. p. 284. & Lemnius in O. N. Mir. P. II. Lib. 6. cap. 19. Sub nimia enim humiditate putredo concipitur, ſeminaque inficiuntur, ſalina & ſulphura cauſtica luxuriant & corruptio quædam inſurgit. Hinc ejusmodi frumenta citius a vermibus arroduntur, citiusque ſitum contrahunt & corrumpuntur & liquores exinde parati citius aceſcunt. Verum frumenta, quæ in aridis & arenoſis agris & collibus ſuccreſcunt meliora & a Medicis habentur. Pariter (ut plura non adducamus ne longius diſcedamus) vinum, quod, ut exploratum eſt in locis prælatis, circa fluvios ſitis, ſabuloſis, lapidoſis, aridis, ſalubrius longe eſt, eo quod planis a fluminibus remotis pingvibus ſubnaſcitur locis, illud tenue atque ſubtile invenitur, quod per anguſtiſſima emunctoria citius tranſit, nihilque craſſi heterogenei in corpore relinquit, hoc vero calculum obſtructionesque varias viſcerum producit, illud ejusmodi mala curat atque præſervat. Nullum enim eſt dubium, terram, quæ vegetabilia alit ac fovet, ſuccum, quem accipiunt per eorum radices & tubulos, ſuam quoque indolem, ſuas proprietates ſingulares impertiri. Imo ex ſolo guſtu differentiam percipimus, ſic in Belgio ob ſolum præhumidum arborum fructus, plantæque minus ſapidum referunt ſaporem, nec vulgo ignotum eſt æſtatem

ſiccam

ſiccam præ humido meliores ſapidioresque fructus proferre. Confirmat hoc ipſum vegetabilia effluvia eorum, quæ ſub terra conduntur, alterare, ſic. v.g. notiſſimum eſt vineas hochheimenſes celebratiſſimas, quoniam magna ex parte continent carbones foſſiles, vinum inde ſuccinum quaſi ſpirans concedere &c. Cochleæ porro, quæ in locis arenoſis, montoſis, circa vineas, reperiuntur longe teneriores & ſalubriores iis, quæ in terris limoſis, cenſentur. Conf. Lemnius in Occult. Nat. mirac. P. 1. Lib. V. Cap. Præferuntur etiam alias carnes ferarum juxta alias etiam ea ex cauſa, quod animalia domeſtica, quæ aluntur in ſtabulis impuris ac fœtidis, talem hauriant aërem & quod ſimiles procreentur humores carnes quoque alterantes conf. Wirdigius in Medic. ſpirit. curioſa P. II. c. 12. Intereſt hujus, quod præter alia & Hippocratis teſtimonio Lib. de a. a. & L. hauſtum habemus fructus, plantas, animalia, gemmas, mineralia, quæ in eo terræ tractu, qui orientem ſolem reſpicit, creſcunt, bonitatis, præ cæteris nota gaudere. Conf. modo cit. Ferrand. Imper. l. c. c. 9. p. 280. Tandem etiam applicatione facta explicatius de noſtro ſolo ſimul perſpicere jam licet, quoniam eſt pingue, molle & nigrum, quod facile humeſcat ac diſſolvatur, facileque iterum a calore humorem extrudente areſcat: etenim ſi per paucas ſaltem horas pluvia cadit, cœnum mox abundat, rurſum ſi per paucos ſaltem dies ardor ſolis fervet, protinus exſiccatur, adeo ut pulverem copioſam mox ſpargat, cujus miſcela tunc elevatis nimirum in aerem pulverulentis & arenoſis particulis incommodus redditur, exinde enim & oculi & pectus atque pulmones læduntur, ſi copioſe illæ illabantur, & inſpirentur, de quo vitio Arabia deſerta ac loca vicina ut & in nova Hiſpania urbs Mexicana laborant, ut peregrinatores ſcripto teſtantur.

§. XXII. Circa aëris conſiderationem venti imprimis non ventis (ut ajunt) tradendi, quos Summus rerum Arbiter ac Moderator Deus, ad cuſtodiendam cœli terrarumque temperiem dedit, (ut cum Seneca loquar quæſt. natur. Lib. 7. c. 18.) Quietus & non ſatis motus aër magis magisque noxia colligit & retinet effluvia, magis corrumpitur & ad putredinem eſt valde proclivis, verbo venenum æmulatur, ut recte agitatus me-

dicinam universalem. Notissimum est Austriam aut ventosam dici, aut venenosam, & de Avenione speciatim habetur morbos ibi, si non venti regnent, regnare, quale etiam de nostris regionibus est observatum, quemadmodum Johann Fiedlerus, in der Müglischen chronica P. 1, p. 88. scribit, quod Anno 1382. per totum annum nullus spiraverit ventus, ex quo multi morbi epidemii insecuti fuerunt. Hi namque sunt scopæ terræ gentis humanæ sedis & domicilii, quæ eam simulque aërem everrunt & mundant, ut verba Baconis de Verulam. in præfat. ad hist. vent. jam mea faciam. Igitur sunt maxime attendendi, sensibiles illi aëris motus, quiq; sensibiliter aëris mutationem sive in melius sive in deterius sæpius quoque inferunt, adductis ex aliis locis aut bonis aut malis qualitatibus; Omnis enim aëris constitutio â ventis potissimum dependet: ac si aër tantam potentiam possideat, tanto majorem ventus. Singula autem loca certis quibusdam ventis sunt exposita. Et sunt quidam, quorundam imo multorum satis vernaculi quasi venti, qui non adeo longe lateque vagantur, sed proximum tantum feriunt locum & ad alios non facile transmittuntur, quique non immediate semper magis ab Universi cardinibus & ex longinquo procedunt, ac privatim quasi regioni aut obsunt aut prosunt, sic v. g. Scython Athenas, Japix Calabriam, Apuliam Apulus, Pamphyliam Chagneus, Galliam Circius pervadit, & Galliam in specie Narbonensem, Narbonensis ideo dictus, exagitat. Causa horum est situs regionum aut urbium, quoad vicinos montes, aquas, maria, lacus, fluvios, sylvas, ad solem situm, effluvia subterranea forte. v. g. Vaporibus resolutis, in angustum aliquod spatium intra montes a nubibus coactus aer si cum impetu transit, aut si ventus, ex quacunque etiam ora spirat & in contraria parte montes aut densas sylvas petit objectas, transitum vero per eas non inveniens retrovertitur, in majus spatium disjungitur aucto nisu interjacentem civitatem redit &c.

§. XXIII. Equidem Lipsia peculiarem sensibilem & notabilem adeo ventum, aut stationarium dictum, aut certo anni tempore, certo die horaque, certo mense aut anno revertentem, per certumque saltem tempus durantem, qui seorsim nomine-

minetur & describatur, nescit, cum nesciat montes, maria, flumina, littora grandia aut alia, quæ præcipue ejusmodi producere possent, & modo sunt indicata. Nec adeo etiam ea id dolet, cum universalibus ventis sint inferiores, quoniam sunt segniores, non adeo agitati neque adeo expurgati. Venti nam similes esse fluminibus Averhoës ait 2. Meteor. cap. 2. qui excurrendo fiunt majores, accedente in progressu subinde materia, pabulo augmentoque a vaporibus &c. Frequentiores apud nos primum occidentales venti observantur, qui in nostram temperatam regionem & quidem ad Lipsiam super copiosiores paludes per non unius milliaris spatium jacentes delati, in nubes densas condensantur, hinc & impetuosissimi hi omnium sunt & procellosi, & si cum septentrionalibus junguntur, quod sæpissime etiam accidit, vehementissime sæviunt & damnosissimos producunt effectus, ut arborum dejectionem, tectorum deturbationem, imo ædificiorum integrorum horrendam ruinam ac subversionem, suntque nebulosi, pluviosi, nubilosi, copiosissimos enim ex Oceano Atlantico vapores aquosos jam ingerunt, quos cum illis palustrium locorum nostrorum propinquorum ac ex iis corruptis & pernicioſis miscent atque coinquinant, pejoresque eos faciunt atque adversos. Dein frequentes & sensibiliores sunt nobis aquilonares, quorum ubique major est numerus, quia in hac plaga plus nivis & aquarum depellitur, quibus liberior, nullo interjecto notabili per multa itinera impedimento, patet aditus. Ex alto hi magis feruntur rectilinei, elastici, frigidi sicci sereni, limpidi subtiles, particulis nitrosis copiosis, utpote summe laudabilibus referti & violenti sunt, æquales tamen & constantiores, adeoque intimius penetrant, refrigerant, stringunt constricti corpora, terram &c. sicque inpediunt ne tot atomos immittant aëri, siccant, putredinem arcent & excrementa & effluvia crassa, humida dissipant, repurgant, corrigunt, abripiunt. Cum enim humidæ particulæ resistant minus sublato, æquilibrio dejiciuntur aëremque sic ad salubrem redigunt modum, nubes fugant & serenitatem aëri, sensibus, animisque alacritatem afferunt, appetitum augent fibras roborando & instigando motrices, spiritus in corpore

detinendo &c. Robuſtiores, ſaniores, coloratiores, vegetiores, longævosque reddunt homines &c. Hi ab Hippocrate Lib. de morb. ſacro ſaluberrimi omnium habentur, nam licet etiam in loco ſint paludes modo detur acceſſus Boreæ aër ab iis ut & orientalibus corrigitur. Ob hanc ipſam rationem juxta eam, quod mari proximæ ſint & altiores Vitruvius Lib. 1. c. 4. paludes circa Atinam, Ravennam & Aquilegiam, ut & Oribaſius S. Collect. c. 3. Ægyptiacas minime damnant, eæ namque ſimul exſiccantur, ex quarum exſiccatione exoritur ventus, is namque qui ex humiditatibus craſſioribus, quales ſunt paludoſæ, generatur, diutius durat, ut obſervatio fert Bac. de Verul. in Hiſt. Vent. Hinc notante Cœlio Rhodigino Lib. 20. c. 18. in Lesbo inſula incolæ ægrotantes extuſſi maxime, flantibus Coro auſtroque ſeptentrionali ſuperveniente, convaleſcunt citius. Conſtat obſervationibus, eas regiones ac urbes, quæ ventis ſeptentrionalibus patent paciores levioresque experiri morbos conf. & Verulam H. N. p. 451. Plinius Lib. 2. cap. 49. Celſus L. II. c. 1. Rhazis Lib. 5. de re med. c. 4. Hippocrates Lib. de A. A. & Loc. pariter affirmat, incolas regionum, quas venti frigidi & ſicci afflant, eſſe ſanos atque vivaces, atque Ariſtoteles illas urbes his expoſitas ſaluberrimas pronunciavit. Apud nos idem experimur, æſtate imprimis exiſtente ſicca & temperata, quæ ad ſpirituum animalium adeo utilium elaborationi omnium aptiſſima eſt, frequentibus ventis orientalibus & ſeptentrionalibus pauciſſimos nobis eſſe morbos, pauciſſimaque funera. Quinimo in genere hoc affirmandum eſt. Æſtate calida maxime & ſicca, per quam nimirum tranſpiratio corporum liberior eſt, jugis & ordinata bene, humorum circulatio optimaque fibrarum conſtitutio, apud nos pauciores dari morbos, ideoque hic minus illud Ariſtotelis valet, quod per æſtatem magis adverſa veletudine homines laborent. vid. problem. 24. Sect. 1. quod quidem etiam alias & in multis locis veriſſimum eſt, ſic apud Livium legitur Decad. 1. lib. 4. c. 16, peſtilentiam olim ortam eſſe a ſiccitate æſtatis, & lib. 5. c. 8. ſimiliter eſſe natam peſtilentiam in agro Romano ex ſiccitate & caloribus nimiis; menſes enim æſtivi juxta alias cauſas ob ventorum requiem & exhala-

halationum denſitatem aërem habent magis caliginoſum alioque modo minus convenientem. Atque ob defectum humidi blandi irrigantis ſolidorum corporum partium tonus nimis intenditur & rigidus evadit, & ſalia & ſulphura fluidorum præter naturam exaltantur, volatiliſantur, acuuntur, reſolvuntur & efferveſcunt. E contrario autem quo magis æſtate calida & ſicca, Lipſiæ ſalubrius vivitur, eo magis humida & frigida etiam inſalubrius, utpote aëre per ſe humido & craſſo. Sequuntur in noſtro ordine intermedii venti & ex his imprimis nobis notatur Euro-Boreas, hic quoniam occidentalibus & ſeptentrionalibus intermedius eſt, vehemens, humido-frigidus eſt, procellas, imbres, grandines, nebulas pluvias affert, æſtate vero æſtum temperat &c. Hunc excipit Africus, ſive meridionalis qui inquietus eſt, nubiloſus, nivoſus, pluvioſus, humidus, frigus temperans, fulgura tonitruaque inſerens, atque nobis quoque præſertim æſtate atque autumno inſaluberrimus eſt. Quoniam urbs ita eſt ſita, ut non per unius milliaris ſaltem ſpatium campi pateant ad ſolis ortum, liberior quoque ſubſolanis panditur acceſſus. Hi ex exſiccatis quidem proveniunt locis & per vaſtiſſima Aſiæ ſpatia tranſeunt, calidi ideo ſunt ſicciores purioresque, & aërem intenſo æſtu exagitant alias; nobis vero non raro vernali tempore frigus inferunt ſatis intenſum, quia ad noſtram regionem ſupra Bohemiæ, Miſniæ & Variſcorum altos montes nive tectos proveniunt, ſecumque ex nivibus liquefactis partes ſubhumidas & frigidas advehunt, hinc & eo tempore pluvias per aliquot dies durantes efficiunt, hyeme vero rariores nobis æque ac aquilonares impertiuntur nubes. Sunt inſuper mites quoque atque æquales & temperatæ magis, attenuant quoque atque expurgant. Nec eteſiis anniverſariis illis refocillantibus æſtuante æſtate ventis iisque ſatis non raro frequentibus regio noſtra deſtituitur. Notanter ſupra dictum eſt aquilonares nobis eſſe omnium ſenſibiliores, iis nam urgentibus ineunte vere maxime febres intermittentes, urinæ ſuppreſſiones, calculi dolores, alvi adſtrictionem, ophthalmias, pleuritides, peripneumonias, raucedines, tuſſes, coryzas, catarrhosque alios & ſimiles in ſenſibilioribus aut excitant aut certe exaſperant contumacioresque reddunt,

ecs-

eosque ad ferventem protrahunt æstatem. Hinc & non inconsultum erit monere atque hortari, suadente aëris indole, corporumque constitutione eos imprimis, qui ab ortu habitus laxioris ac mollioris, tenerioris atque sensibilioris sunt naturæ, quorum corpus humoribus serosis aliisque tumidum atque distentum est, atque plethora molestatur, vel qui doloribus omnis generis omniumque partium præsertim oculorum plerumque inflammationibus obnoxii sunt, & ad calculum, difficultatem urinæ & phthisin, hæmoptysin, apoplexiam, paralysin, proni, ut & ex morbis gravioribus reconvalescentes & ratione sexus quidem fœminæ & ætatis pueri, ut consulant sanitati & saluti suæ, & vere ineunte imprimis atque autumno, sub his, (quia sunt asperi nervis ideo inimici & violenti qui intimius penetrant fortiusque afficiunt, & insensibilem transpirationem impediunt, eaque suppressa præter alia si plethoram generant, fibras tendunt & stimulant & ad humiditates superfluas fundendas sensibiles partes irritant, quo quidem per accidens potius iidem alias salubres nocere videntur.) proximum aeris contactum avertant, bene vestibus se muniant neque incaute iis corpus exponant. Etenim si hominum corpora ab aura & ventis humidis & tepidis magis consuetis laxata magis sint atque aperta, repente exorientibus & furentibus rigidis ex Borea ventis citius, facilius pejusque læduntur.

§. XXIV. Cæterum clementi sat vultu respicit & bona utique temperie conservat ac sustentat Lipsiam, ut totam Misniam Cœlum. Anni tempestates secundæ inæquales; & æstas & hyems modo sat bene ferendo excipiunt sese; calor longior frigore, hyems ei sera rarior. Non eam enim æstus cœli & aëris violentus & torrens exagitat, qui Lemptæ & Sarræ Africæ exurit eremos, & qui usum vetat vestium, nec Mauritanorum latibula subterranea eapropter desiderat. Non eam asperum ac sævum gelu hyemale adstringit, quo Novazembla & terra Corterialis riget. Nec dies ob æstum nec noctes ob frigus infelici repentina mutatione, adeo incommoda sunt, ut quidem in Japonia, Italia, & præsertim Romæ, Brasilia item ac in vicina

Sile-

Sileſiæ, Hungaria ac huic annexa Transſylvania, ubi facies totæ ſudoribus de die continuis perfunduntur, de nocte pruina, rigent capilli. Non affligit eam malus Jupiter, qui Cimmerios, Arcticos & Antarcticos, Magellanicos contriſtat. Raro nobis procellæ aut terræ motus metum incutiunt, raro cœli minæ, tonitrua, fulgura, fulminumque ictus & ignium cœleſtium ingluvies hanc regionem hancque urbem feriunt, quæ urbes alibi, ſylvasque concutiunt atque evehunt. Non frequentes & incommodi cadunt imbres eluentes abripientesque terras. Neque ſolem nobis tegit aut avertit nebula continua, quæ Conſtantinopolim aut per hyemem maxime Angliam; ſed ſalubribus pluviis interdum irrigatur ac rore quidem fere perpetuo recreatur in quo ſaccharum dulciſſimum & occultus optimus vitæ cibus & naturæ noſtræ gratiſſimus latet. Helmontio perhibente Tr. Imag. ferment. p. 33. quoniam condenſatio aeris per ſe humidi & craſſi de nocte major extremam partem noctis magis roriflua m efficit. Lacus hic nullus pernicioſos halitus ſpirans hominibus pariter, ac greſſilibus volatilibusque animalibus exitioſus. Nulla caverna ſpecusque, aut terræ hiatus ex qua lethales ſpiritus exhalant, de quibus conqueruntur Itali, in Soracto oppido, & Sinueſſano Puteolanoque agro & Hierapolitani. Non conturbatur atmoſphæra noſtra tempeſtatum, nubium & turbinum occurſu, concurſu, flexu & gyratione, quales aereæ colliſiones & diſruptiones ejusmodi (Wetterſcheidungen) vicina quædam loca circa Numburgum & Portam (Schul-Pforte) quædam in ditione Vinarienſi aliaque alibi moleſtant. Neſcit plana Lipſienſis terra metalli fodinas, tetras exhalationes ſulphureas, narcoticas, ſalinas, acres, acidas, mercuriales, ſaturninas, arſenicales, terreſtres, ſpargentes & phthiſin, dyſpnœam, apoplexiam, paralyſin, artuum tremores, morbosque varios contagioſos atque adeo peſtem inferentes. De quibus conf. Ed. Brown Act. Angl. p. 33. p. 811. & ſeq. quæ certe hic magis eſſent perniciosæ ſi humidis & paludoſis & heterogeneis ejusmodi atmoſphæræ noſtræ effluviis miſcerentur. Et ſatis habet magisque gaudet forte, apportari ipſi aurum atque argentum, apportari dives lucrum per bene ſtabilita commercia rerum. Rariores hic ſunt

epidemii morbi & si obvenere brevi & sine singulari incolarum strage cessarunt iterum: Pestis, quæ Lipsiæ grassata est aliquoties, non tam inclementi aëri adscribenda, sed per alios & vestimenta ex aliis locis infectis labes transportata in Lipsienses vulgata est, neque diu duravit atque infimam plebem saltem, quæ vix diætæ studere aut nequit aut non vult, affecit. Tacemus jam amœnum atque gratissimum vivendi genus, atque conditionem ingenuam, qua vivitur hic, gentis genium ad omnem humanitatem compositum, festivitatem ac urbanitatem, ingenuam libertatem, cultum bonarum artium, propensionem erga omnia honesta, abundantiam omnium eorum, quæ ad victum cultumque pertinent, & quæ in commendationem commoditatis & suavitatis venire queant, multa enim, quæ in deliciis haberi solent, & multis aliis negata, indulgentia almæ Naturæ indulsit, quæque forte non sunt hujus regionis, importantur ubertim, ut frui cujuscunq; fere regionis commodis, bonisque Lipsienses possint, iis his communibus factis. Nihil alibi usquam tam rarum carumque invenitur quicquam, quod Lipsiensibus non domesticum etiam esse possit. Eximia est varietas voluptatum rerumque omnium condimentum. Mirum est, quantopere Lipsiæ suavitas, quam possidet, alliciat, atque adeo, ut qui aliorsum profecti Lipsiam adierunt, lotum gustasse videantur, vixque inde ut septentrionales in austrina loca delati ab austri Sirenibus, ut Mundius loquitur de aere vitali cap. 2. p. 8. abduci possint, licet patriæ fumus alieno igne luculentior sit, (ut in proverbio habetur) quod Ulyssis sociis in Africa contigit, qui apud Latophagos manere perpetuo decreverunt. Hoc certe Lipsiensis fortunæ decus paucis, paucioribus hoc commodum, pauciissimis hæc suavitas data est. Dictu difficile est, quanta bonitatis & gratiæ divinæ affluentia in Lipsiam præ multis aliis Germaniæ urbibus opulentissime se effundat, ubique benignitatis Divinæ vestigia elucent. Hinc & de nostra urbe proverbio dicitur, plus in ea consumi quam acquiri. Incolæ Portugalliæ dicunt, quem Deus amaret, illi domum aut sustentationem Lisbonæ concederet. Hoc merito quoque de felicibus Lipsiæ sedibus dicere fas est, cum pro quavis fere conditione

ditione hominum, commoda habeatur sustentatio. Notum apud nos atque notabile est, Percelebrem illum summæque existimationis atque autoritatis Lipsiensem JCtum, J. B. Carpzovium, ex quo exaula Dresdensi relicto splendidissimo ibi officio, rediit, albis Studiosorum eum accedentium adscripsisse:

Extra Lipsiam non est vita, & si est vita, non est ita;

aut: Extra Lipsiam vivere est misere vivere.

Verbo: Lipsia omnium delitiarum & elegantiarum humanarum epitome vocanda. Neque tamen effœminat animos loci amœnitas nimia; aut ad corrumpendum illorum vigorem sua natura operatur aliquid, ut quidem ordinario ferme aliis alibi commune est. Ideo hæc, ad quæ amor gratæ habitationis meæ locus abripuit, addere convenit, quod amœnitas loci & grata hinc ibique contenta vivendi conditio, ægritudinem quoque pellere possit, quia animus mire recreatur & anima contenta communicat atque operatur corpori vigorem sanitatem ac vitam: Si enim sanitas, quæ formaliter certus ordo & motus est, atque conveniens actionum omnium corporis exercitium dependeat (dependet autem certissime) a libero æquabili & moderato sanguinis & humorum per vasculosam compagem corporis circuitu, apparet, animum contentum & tranquillum ad hanc maxime facere, ea enim est in corpus animi vis, ut spirituum motum potentissime alteret, alterant hi vero cordis & arteriarum motus atque partium tonum & qualis hinc Cordis atque arteriarum motus & partium tonus talis quoque est circulatio, & quomodo se hæc, ita & se sanitas habet. Notabile est, quod ex Celeb. Sanctorii Medicina Statica v. Sect. II. aph. 49. discitur in hominibus animi contenti, pacati & hilaris perspirationem insensibilem, liberiorem & auctiorem esse pondusque corporis levius. Pulchra hanc in rem sunt, quæ Plato in Charmide, Bardus in med. polit. p. 310. & Kuhnius ad Laertium p. 517. habent. Non vana hinc est eorum sententia, magnum esse præservationis momentum si tempore pestis & sub contagiosis aliis grassantibus morbis, amicis, hilaribus atque contentis consortiis fruerentur amici.

§. XXV. Non vacat jam observationes prolixas addere barometrico-meteorologicas &c. circa gravitatem, elasticitatem, &c. ac constitutiones & variationes earumque causas & rationes tempestatum aëris Lipsiensis atque ventorum epidemiasque affectiones atque effectus exinde secutos per annos, tradere, hoc olim acturus forte an, ubi maturiori tentamine & experientia observationes instituere per singularia ejusmodi datum erit, quod laudabile & proficuum institutum, curæ merito esset omnibus, ut vel nativitatis vel habitationis suæ solo, quæ accidunt penitius observarent, colligerentque, ita futurum est ut multa adhuc nobis non satis probata tam in physicis quam medicis, melius in apricum deducerentur, ut a veteribus jam Herodoto, Hippocrate atque Galeno hoc ipsum suasum est atque observatum. Post horum tempora æstumatio hujus atque tractatio fere jacuit. Quare tantum ex observationibus curiosis barometrico-meteorologicis tulerunt laudis, quantum in iis egregiam iterum industriam collocarunr varii Excellentissimi Viri, & quidem in nostra Germania bina ista eximia Rei medicæ lumina & columina eminent illustris nempe Dom. L. Schrœkius, Acad. Cæsareæ-Leopoldino-Carolinæ Præses. Et Excellentiss. Dn. Frid. Hoffmannus, Consiliarius Regius & P. P. longe celeberr. Laudandi quoque hic sunt celeberr. Collegæ Acad. Nat. Curios. in specie Vratislavienses, Rosin. Lentilius &c. In Italia a Sagaciss. Ramazzino primum hoc laudabile institutum exstitit. In Anglia Sydenham, Cok & Parker, Goad, in locis borealibus G. Krieger ideo commemorandi atque commendanti sunt.

§. XXVI. Si hæc tandem omnia, per series recensita, sub incudem, (ut ajunt,) revocemus atque invicem conferamus ac, pictores velut imitati qui in facie bene exprimenda indolem vultus non negligunt & nævos quoque indicant juste hanc effluviorum ac exhalationum ex adeo diversis corporibus copiam, hunc fossarum squalorem atque putredinem hocque solum uliginosum & pingve hunc declivem urbis situm, si & aquarum indolem minus laudandam, hos Ventos humidos nobis familiares frequentes nebulas atque nubilosas tempestates, inundationes, aliasque loci conditiones & incolarum labores, & consvetudines perpen-

perpendamus, si experimenta instituamus per baroscopia, hygrometra &c. sique item alia indicia colligamus, aërem hunc humidiorem & putridum indicantia interquæ mucor viridis copiosus & muscus tectorum tegulis, lateribus, suggrundiis &c. adhærens, qui Constantinopoli & Romæ tectis ædium copiosus ad nascitur & effluviis humidis, & putridis aliisque morbosis non sine causa adscribitur. Conf. Pr. della Valle Itiner. P. I. p. 22. ac ferramenta exiguo tempore rubiginem contrahentia muri nigro, flavo & viridi colore inquinati, pinguia item incolarum corpora cita pellium corruptio, tinearum cimicum &c. copia &c. numerantur, in promtu erit notare atmosphæram hanc sua natura & in se consideratam esse in comparatione aliarum fœculentam, impuram, crassam, gravem atque humidam calidamque, atque multoties mox pulverulentam sæpius ac si rem sine studio & odio fateri, ut fas est velimus non adeo salubrem. Humidus & tepidus enim aër in sequidem minus conveniens & insalubris si uliginibus crassioribus fædisque impuritatibus aliis simul commixtus, magis talis est, quod ordinario quidem accidit. Quod vitium si quando adsit inhabitantes certe possunt augere deteriusque reddere ut cursim hoc moneamus, nimiis in domiciliis & frequentioribus prolutionibus & albariis inductionibus. Ex his causis inter se collatis haud obscure jam colligere est, quomodo se habere possint hominum corpora eorumque partes tum solidæ tum fluidæ, atque in iisdem secretiones & excretiones transspirationes &c. quæ pro varietate harum variæ sunt, aliter v. gr. ratione cœli se habent Angli, aliter Itali &c. Ejusmodi aër humidus nimirum & tepidus crassus, densus, heterogenitatibus continue exhalantibus inquinatus aqueis, suis particulis angvilliformibus circumplicatis spirarum aerearum aut ætherearum, vim elasticam involvit, hebetat, & quasi extingvit, corrumpit, & prohibet, quo minus ea subtilis aëris pars quæ sanguinem volatiliorem reddit, intricata particulis vaporosis satis in pulmonibus separari possit. Præ omnibus aliis infelices dotes possidet inducendi ipsos morbosos affectus, moles puto corporum agentium augetur, corpora rigidiora evadunt arietantia ac influidiora quæ minus resistunt a-

gentia, occasio laxatione nascitur ut poros atque meatus aliorum corporum cum attritione ingrediantur & aptitudo accedit motus augendi consvetos seceſſioque corporum promovetur. Ab eo speciatim pulmones afficiuntur male, respiratio difficilis redditur, majori justo cum vi illorum vesiculæ premuntur, sanguinis, seri reliquorumque humorum imo spirituum animalium motus & circulatio lenta magis ac præpedita (quod quivis in se ipso sentit tempestate nebulosa organa respiratoria plus premi,) & mixtio labefactata evadit, hinc stagnationibus & obstructionibus panditur via : Particulæ minus elasticæ, minusque activæ Massæ Sanguineæ permixtæ non tantas in depuranda ea ferunt opes unde retardatio. Cutis pori etiam & totus corporis habitus laxatur, dejicitur partium, fibrarum musculosarum, motricium, nervosarum tonus, non juste resolvuntur partes densiores & ad cutem deturbantur; rursus panditur via ut vapores noxii per apertos poros & cutis & pulmonum ad interiora usque facile possint penetrare, secretiones & excretiones impediuntur omnes, & humorum refluxus, humoresque densi, viscidi crassique redduntur, lympha vero præsertim crassior reddita acescit, unde & fugam capiunt partes balsamicæ & tubulos simul obstruit, hinc salia acria, salino-sulphurea, excernenda, cumulantur & ex nexu suo facile extricantur & evehuntur etiam alias recondita, atque hæc corpora agentia extensionem majorem obtinent (laxatis sc. poris) quod in productione variolarum & purpurarum apparet, ac tota massa humorum in vappam quasi vertitur, & viscеribus labes imprimitur &c. vid. Sanctor in med. stat. Nihilque magis inprimis ad putredinem disponit, quam ejusmodi aër humido-calidus partium constituentium illarumque unionis mixtum constituentis disjunctionem, in qua corruptio consistit inferens dum poros invadit eosque relaxat. Satis igitur causæ est, aërem ejusmodi capitis gravitatem, epilepsiam scorbutum, gingivarum & dentium vitia, exesiones, vacillationes, nigredines affectum hypochondriacum, viscerum obstructiones, inflammationes, sopores, vermes, cachexiam tandem, hydropem, tumores pedum œdematosos illorumque impotentiam, sensuum gravitatem,

tem, torporem, langvorem, atonias, resolutiones, apoplexias, vitia oculorum, visus hebetudinem, auditus gravitatem & aurium susurros, respirationem difficiliorem, præcordiorum angustiam aliaque pulmonum vitia, variolas, morbillos, purpuras, maculas, febresque varias intermittentes, imo malignas, petechias, arthriticos affectus atque rheumaticos, contracturas, defluxiones salsas, gravedines, fluorem album, cutis impuritates pustulosas & ulcerosas, scabiem, diarrhoeas prægnantibus vel ex levi occasione abortum, multosque labores parturientium eosque periculosos (unde Hippocrates lib. de a. a. & l. hæc mala indicium etiam insalubris aëris habet & ideo civitates orientem spectantes laudat: quod ibi fœminæ facile pariant,) & similes plures morbos inferre. Aeri ejusmodi denso gravique incubum & febres semitertianas Galenum atque alios apoplexias adeo frequentes, adscripsisse legimus Conf. & Baglivius in Praxi p. m. 126. qui inter alia & crises eapropter rarissimas esse ibi, perhibet. Petronius de Victu Rom. cœlo Romano humido ac si comparatio quædam ineatur nostro in multis haud dissimili inter cœteros tres potissimum morbos familiares capiplenium scilicet sive assiduam capitis gravitatem, virium lassitudinem & alvi siccitatem adscribit. Ideo & Alexandretta ut paludosa, febribus maxime est opportuna adeo ut siquis ubi etiam eam accesserit febre illico deprehendatur. Ideo Smyrnæ autumno febres ordinario epidemice grassantur. Galli Lugdunenses si Dumbensen Provinciam paludibus frequentem adeunt, febribus ut plurimum corripi, constat. Pariter Montanus refert quod in Cypro Insula prope Famagostam lacus quidem per æstatem putrescat, ex quo ordinario febres pestilentiales exorirentur. Mantuani ob solum paludosum aëremq; humidum thoracis hydropes familiares iis esse perhibent. Impotentia pedum nostratibus præsertim fœminis familiaris quæ incolas Athenienses olim vexavit aëri adscripta est. Herniam intestinalem terram limosam & aquosam causari auctor est Forestus vid. Lib. 1. Obs. 21. Imo Strabismum, claudicationem, gibbositatem, aëri in acceptum referre alii non dubitant. Hi si non omnes plurimi tamen apud nos frequenter observantur morbi. Observatur & præterea

terea Lipsienses esse uti in genere Misnici, qui eo nomine Svevis quoque comparantur in comparatione aliorum v. gr. Saxoniæ inferioris incolarum, imbecilliores, quæ corporum qualitas juxta reliquum quoque diætæ regimen aëri non minus humido-tepido tribuitur. Hanc aëris nostri constitutionem certius peregre ad nos inprimis ex regionibus salubribus, montanis, arenosis, frigidioribus & siccioribus ex Silesia, Lusatia, Marchia Brandenburgica v. gr. venientes experiuntur; siquidem plurimi de pleno & turbulento capite & ventre conqueruntur referto & appetitu imminuto, multique morbos supra nominatos & ordinario fere scabiem pertinacem incurrunt. Hinc & apud nos præ aliis menses Februarius, (quia non raro jam tunc apud nos frigida tempestas remittit, tepore suo nives solvens & pluvias afferens) maxime Martius atque Aprilis ac autumnales, quoniam tunc humiditates abundant, accedente imprimis tepore, morborum sunt feraciissimi atque funesti. Atque experimur si maxime apud nos in reliquis etiam temporibus, habetur constitutio aeris diuturna, humida, tepida, austrina & tranquilla, ventisque salubribus carens, atque pluviæ continuæ, inundationes aquarum, (aucta sic nimirum nativa quasi indole) accedunt, aut sub ipso statim tempore morbos epidemios, oriri atque febres &c. purpuras, (quæ hic inter endemios numerantur morbos,) frequentius haberi in iis & periculosiores, & quæ ut plurimum junguntur petechiis, aut sequenti etiam insequi certius. Observationibus enim multis constat, morbos epidemios non tantum dependere a præsenti aeris, ventorum, tempestatum, constitutione ac mutatione, sed sæpius & jam prægressa. Namque sæpius videbis, aëre existente optimo, morbos oriri, & malo bene se habere homines, & rursus, malo & diuturniori cœli statu, perplures interdum annos existente, licet convenientissima dein aeris constitutione morbos ejusdem moris ac indolis grassari, argumento, prægressum aeris vitium, humores atque partes corporis adeo contaminasse, ut difficillime ab insequenti bona temperie inducta labes in integrum restituatur, emendetur, corrigatur. Namque & alienum non est, ut malus aer morbos parit, ita bonum, vitium a malo progres-

so

so diuque ingestum in actum potius deducere, quam corrigere, maxime, si subito fortiusque mutatio in contrarium fiat. v. gr. ex austrina & humida, aeris constitutione regnante diutius, humores redundant, impuri evadunt, cumulantur in vasis, supervenientibus dein subito ventis orientalibus, & septentrionalibus violentioribus, fibras porosque stringentibus, humores p. n. collecti & serosi magis, imprimis in succulentioribus interiora ad vasa majori vi pelluntur iisque intruduntur, inde fit in partibus sanguineis intumescentia major atque infarctus ex quo serum circulatione ex parte impedita ac turbata moram nactum secedit a reliqua humorum massa &c. & hinc illæ lacrymæ. Id quod modo diximus suo tempore Hippocrates jam indicavit ut colligere est ex aph. 13. ubi dicit. Si vero æstas sicca & aquilonia fuerit, autumnus pluviosus, & australis, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tusses &c. Ad hyemem dicit, & non æstatem, aut autumnum, quæ tempora tamen vitiose constituta fuere. Similiter in Lib. 1. Epid. sect. 1. non in autumno, mox ac in Thaso, Insula, pessima illa, quam ibidem pluribus enarrat, aeris intemperies inceperat, neque in hyeme, qua ea duraverat, sed primo in vere quibusdam obortas fuisse febres &c. Et tandem sect. 2. & alibi: Quum autem totus annus esset humidus & frigidus, & aquilonius, per hyemem plerumque sano modo degebant: ante ver autem multi quidem & plurimi morbi detegebant &c. Ante ver dicit, non autem autumno, aut hyeme antecedente, etsi sub utraque prava illa aëris constitutio viguerit. Imo dicit hyeme plerosque, & vere multos sano modo degisse. In Aphorism. Sect. III. aph. 22. maniam ad morbos æstivos, qui autumno demum deteguntur refert. Effectus ejusmodi mutationnm aeris & tempestatum in humidum & siccum & in calidum & frigidum optime & ulterius idem Hippocrates ostendit Lib. de a. a. & l. §. 25. & seq. & aphor. II. S. 2. & aph. XII. Sect III. Certissime fluit exinde tempestates prægressas, ut causas detegunt, ita in curatione morborum epidemiorum maxime esse considerandas. Vix mihi tempero, quin exemplum quoddam & curationem eo quoque dirigendam adjiciam: In Silesia ante aliquot annos circa curam febrium epidemiarum

exacutarum familia graſſantium maculis variis ſtipatarum inter Medicos primum magna quæſtio orta eſt, an V. Sectio adhibenda ſit nec ne. Plures eam primum adhibuerunt ſed infelici eventu, quam tamen alias proficuam fuerunt experti. Ex propinquo conſiderantibus conſtabat, cum anno prægreſſo conſtitutio aeris ibi fuerit humida, pluvioſa, auſtrina, ventisque carens, diuturna. V. Sectionem plane inutilem eſſe imo lethiferam ob vires exhauſtas, diſpoſitionem inductam ad putredinem ſangvinemque hinc eſſe corruptum magis, quam copioſum.

§. XXVII. Hinc etiam (ut ad aerem noſtrum Lipſienſem iterum revertamus & quandam quoq; ejusmodi obſervationem practicam indicemus) remedia quædam, nimirum humores figentia, concentrantia noſtratibus maxme autem fœminis non ſemper feliciter cedunt quod alias & alibi de aere humido, craſſo & gravi eſt annotatum, atque hinc v. gr. experitur chinam chinæ febrium intermittentium famoſum illud antidotum Lipſienſibus niſi iis qui durioribus laboribus quotidianis corpus ſuum exercent & cholerici temperamenti rarius canducere; obſervavi enim ſi vere, autumno & hyeme humido exhibeatur tumores pedum aedematos atque adeo hydropem & contabeſcentiam ex inde, ex facile ſequi & difficillimam eſſe in integrum reſtitutionem. Neque deſunt qui perhibent per experientiam quam ſimul afferunt edocti, capitis lotiones hic eſſe damnoſas, quod quidem quidam Autores de aliis Regionibus & locis humidis, ventoſis flatibusque expoſitis referunt, imo nonnulli idem de omnibus propemodum balneorum generibus affirmare volunt, quod ad ulteriorem obſervationem eſt perducendum. Hæc quæ de aere Lipſienſi modo diximus adeo vera ſunt ut conſtet infinitimis locis duobus ſaltem aut tribus milliaribus a Lipſia ſejunctis diverſam harum rerum faciem eſſe. Grimma, Colditium, Leiſnicium, Ileburgum, Wurzena ſpeciatim & exempli loco nominanda orientalem verſus plagam aliquot milliaria a noſtra urbe recedentia oppida, ob aeris inprimis & aquarum ſalubritatem per multa jam tempora percelebrata ſunt. Hæc & alia ideo argumento ſint, Medici & naturarum, locorum & regionum differentias intelligant videantque quid in unaquaque unicuique con-

conveniat. Prudenter enim & exercitati in arte hæc probe considerant quæ pro cœli solique ratione varia sunt atque nunc hoc nunc illo utitur remedio perspicitque quæ hac in tempestate prodesse, in rursus alia obesse possint.

§. XXVIII. Rebus itaque sic stantibus, ut ad id iterum redeamus, a quo digredi paululum volupe fuit, de restituenda aeris Lipsiensis salubritate aut corrigenda interim ejusdem insalubritate, cogitandum erit sedulo, idque iterumque commendandum, atque adversus noxas, quas inferre hominibus possit convenientibus remediis laborandum. Maxime cum Medicorum sit arcere & compescere morbos populares hæc quoque aeris correctio præ aliis provario modo adeo impense per suffumigia & vapores balsamicos resinosos, sulphureos salinos, volatiles & fixiores, item aqueos &c. a multis quæsita est & instituta. Laudamus imprimis fossarum, quæ urbem circumdant adeo jam diu optatam repurgationem circulationemque per eas limpidarum aquarum ac puteorum & canalium qui in publicum usum sunt destinati atque excitati, exterionem, ex plateis omnimodam quisquiliarum putidarum fœditatem, & ex tota vicinia ejectionem, ut & cellarum quæ sordibus redundaverint exterionem ac exsiccationem. Ad quam purgationem etiam opus est, ut circa hiemis finem februario puto ac martio mensibus humiditates cœnosæ a glacie liquefacta aut ipsi integræ inhærentes mature ac longe extra urbem evehantur, ne cœnum colligatur humiditatesque a liquescente ea augeantur. Ad eam non minus opus est, ut canales in plateis pro evehendis sordibus contecti sedulo vertantur, ne cœno obstruantur. Consultum quoque esset ne fœculentiæ variæ in culina, cubiculo alibique collectæ situque non raro corruptæ & putrescentes & pessime fœtentes in publicas vias effunderentur, neque fimus & quisquiliæ hinc inde tam in urbe, quam suburbiis in cumulis congestæ colligerentur diuque asserventur, quod quidem quondam anno 1607. lege quadam publica vetitum erat; sed in loca congerentur a suburbiis longius remota, ut & ne latrinæ tempestate calida & humida existente evacuentur.

§. XXIX. Commendandus autem hinc noſtratibus venit ex medicamentis eorum præſertim uſus, quæ energeticis ſuis partibus ſpiritus torpidos excitant, majorem motum iis conciliant, humores quietos, lentos, viſcidos, vappeſcentes atomis ſuis exiguis acuminatis incidendo & dividendo mobiliores reddunt, juxta univerſalia dicta laxantia nimirum, tempore præſertim hyemali, vernali & autumnali ex ſalinis præſertim aloeticis, rhabarbarinis, fol. ſennæ &c. quandoque adhibita ac blanda vomitoria æſtate magis. Ejusmodi vero illa ſunt ſpirituoſa, ſalia volatilia, macra & oleoſa temperata cumque aliis remixta v. gr. ſpiritu nitri dulci &c. ſpiritus elixiria balſamic. eſſent. ſtomach. amara, aromatica, antiſcorbutica, alexipharmaca bezoard. balſam. vitæ Hoffmanni, Tinct. antimonii tartar. omniaque in genere propemodum diaphoretica, item vini bonæ notæ generoſi, rhenani, burgundici, & qui tam aeris quam aquarum pravitatem apprime corrigit ſpiritus vini, ſpirituum ardentium, tabaci item moderatus uſus. Non minus e re erunt infuſa & decocta calida veron. meliſſæ, ſalviæ, ſcord. trifol. fibrin. & ſimilia Cort. ſaſſafras, aniſi ſtellati &c. & opulentioribus phlegmaticis & ſenibus maxime rad. exoticæ. Niſi a Sinenſibus pro panacea & mortis & morborum averunco habitæ, ad ʒj. ʒjſs usque ʒij, Theæ, Coffeè, Succolatæ, & vinum aromatiſatum & calefactum (glüenden Wein.) Aquæ uſuales patabiles colentur & decaquantur. Sola quoque maſticata hic eximio ſuo fructu non deſtituuntur, ut cinnamom. ſem. ſinapi maſtiche, paſſulæ majores & minores & ſimilia, mane præſertim ſic uſurpata. Nec non quoad externa debite adhibita ſuffumigia ex reſinoſis, gummatibus, aromaticis ſvadenda ſunt. Confert quoque in camino luculentos ignes tempeſtate maxime humida inſtruere. Verbo omnia tam interna quam externa hic locum habere poſſunt, quæ circulationem ſangvinis & humorum motum moderate augent, ſecretiones & excretiones blande provocant, & qvidqvid alieni vitalibus humoribus ad mixtum eſt, convenienter eliminant, naturam roborant, corruptioni, putredini, reſiſtunt, atque ſic omnem ad ſuſcipiendum contagium diſpoſitionem auferunt, &c.

§. XXX.

§. XXX. Præ omnibus cæterum aliis moderamen in rebus non naturalibus bene obſervandum, in victu imprimis & venere, utpote quæ maxime nocet, maximeque debilitat, ſi natura ad excretiones aeris vitio langvida ſit. Circa illius rationem adhuc cumprimis cibi ſolidiores aſſati potius utpote qui tonum & firmitudinem ventriculo efferunt melioremque ſolutionem & nutritionem efficiunt,(melior enim pars elixarum carnium in juſculum abit, quare eæ concoctæ ut ajunt difficiles ſunt) atque bene ſaliti commendandi, maxime cum conſtet, in hoc in defectu magis Noſtrates peccare; quo melius & cibi & humores exinde præparati, chylus, ſanguis aliique omnes melius diſſolvantur, ſpiritusque animales melius eliciantur, melius diſtribuantur, conſerventur & a corruptione præcaveantur, ſcorbutus aliaque cacochymiæ genera avertantur: Sale enim & ſole, ut Plinius præclare dixit, nihil magis proficuum eſt. Ideo etiam,quod nempe cibos ſale non ſufficienter condiant, Ph. Guibertus de tuenda ſanitate,Pariſienſes reprehendit,& obſervaſſe ſe ſcribit plurimas hinc eſſe obortas ægritudines, & unam ex primariis cauſam hanc eſſe, cur Pariſienſes præ aliis renum & veſicæ calculis laborarent. Hiſtoriæ referunt, gentes, quæ ſalem non guſtant, obtuſi ingenii & excordes eſſe. Vitanda inſuper ſunt flatulenta & humores in craſſantia, acida exceſſiva, item dulcia, pinguia, farinacea, placentæ &c. dura, potus frigidi, vitandæ vero omnium ſunt nimiæ & copioſæ potationes, & omnes luxuriæ, cupediæ, nimia ciborum præſertim intemperatorum copia,vitandum etiam omnimode jejunium; quoniam in jejunis vehementior aeris inſpiratio & ad interiora admiſſio eſt, qvare modo aliquot Thée, Caffée, Succolatæ, calidæ ſorbillationes aut fruſtum panis ſaliti, aut butyro illiti, matutinis horis antequam in publicum exeatur, aſſumtum, ſufficiunt. Vitandus & aër matutinus, veſpertinus & nocturnus, qui ſua natura humidus & craſſus, tunc magis nocet; omnis enim generis effluvia, etiam animata, quæ in locis paludoſis frequentiſſima ſunt, quæ per diem ſolis ardore ac potentia diſſiciuntur & altius evehuntur, ſole occiduo frigida facta tempeſtate magis condenſantur atque cum humiditate quadam deſcendunt. Quare noctur-

næ hic deambulationes magnum detrimentum afferre poſſunt. Pariter ſummo mane virulentum quoddam ros non raro in ejusmodi locis decidit. Quare modice gaudeant Lipſienſes tempore æſtivo inhortis ſuis præſertim in loco declivi & humido ſitis, frequenter per noctem commorantes, & dormientes ſibi, quoque caveant cum cura, ne aëri liberius corpus ſuum committant, quo liberior perſpiratio maxime inhibetur, ac præcalidæ bilioſo-ſulphureæ atq; ſalinæ excrementitiæ partes humores inficientes, intus retinentur, ex quo morbi graves & periculoſi, febres omnis generis ſæpe etiam malignæ & cachexiam ſpaſmi, hypochondriaci affectus præſertim & dolores inflammationes, hæmorrhagiæ, epilephſiæ, rheumatismis, & id genus alia mala facile exſurgunt. Juxta hoc monitum illud quoq; ſalutare ab Alex. Petronio de Romanor. victu lib. IV. p. 245. iis qui in diætis ſuburbanis villis & vineis ſuis circa urbem Romanam frequenter ſe exhilarant, datum Lipſienſibus quoque, qui voluptatis gratia, hortos & villas ſuburbanas adeunt, conſiderandum ſiſto: dicit ibi enim: Sæpe in vineis iſtis aer nocere conſvevit, quia homines conſvetudinem in omni victu mutant. Nam ſoli ſeſe citra tempus exponunt intempeſtive multumque non ſolita comedunt bibunt aguntque crepuſculo ſub dio cœnant, ſubinde plerumque ſudantes, vineam perambulant poſtea noctu domum revertuntur. Paulo largius ſomno potius indulgeant, quam nimiis vigiliis & nocturnis ingenii laboribus & lucubrationibus animi pariter ac corporis robur frangant ac ſpiritus animales diſſipant, dormientibus pedes & coxæ bene contectæ ſint. Frictiones corporis ſæpius inſtituantur & inunctiones ex nervinis ſalinis ſpiritibus, oleoſis, balſamicis, ex lavend. meliſſa, majorano, roremarin. &c. in vertice, temporibus, nucha & collo præſertim. Cubicula proſunt ab humo longe remota, ſerena, repurgata, ſicca, ſpatioſa & alta ventisque ſiccioribus expoſita, in quibus tempeſtatibus humidis & nebuloſis igne luculento excitato aër alteretur & depuretur, ac per noctem feneſtræ clauſæ ſerventur. Aëre enim puro ac temperato fruamur, ut cum maxime quando ſomnum capimus æque quando cibum potumque aſſumimus, atque corpus exercitiis movemus, quia magis tunc

aërem

aërem in interriores receſſus corporis, pulmones, ventriculum, imo ſangvinem recipimus. Ut & rectius valeat mens in corpore ſano, modicis convenientibusque excitent motionibus, & exercitiis corporis; præſertim ii, qui alias agunt ſedentariam vitam, & meditationibus ſeriis diuturnis occupati, qui arti plus invigilant quam ſanitati, quorum negotia otium ſapiunt, quibus calor nativus non excitatur, & vigor non acquiritur, milites quaſi imitati, qui media etiam in pace ſupervacuis laboribus ſe exercent ut ſufficere neceſſariis poſſint; Quemadmodum Plato duas has artes civitatibus neceſſarias eſſe judicavit, Gymnaſticam ſcilicet & Muſicam, hanc animorum, illam corporum nutricem. Georgius Baglivius multæ memoriæ clariſſimus urbis Romanæ incolis, cujus cœlum noſtro quoad multa ſimillimum & æque humidum minusque elaſticum eſſe, antea diximus, ad præcavendos morbos populares, equitationem præ aliis exercitationum generibus, tanquam arcanum ſedulo commendat. vid. ejus lib. I. Prax. med. § 4. p. 138. Vires tandem quantum fieri poteſt, conſervandæ, & ne, ut Celſus loquitur in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur. Diætæ enim imprimis convenientis ſtudio id efficimus, ut in regione etiam alias intemperata bene longeque vivamus, quod in Italis præ aliis deprehendimus, atque ideo illorum induſtriam exactam accuratamque rationem, quam in hoc collocant ac exhibent laudamus merito. Speciatim pro iis, qui ſuburbia inhabitant, alluviei aquarum obnoxia hoc monendum eſſet, ut poſt ejusmodi colluvies omni modo humectatas ædium partes usque iterum reſiccatæ fuerint, relinquant accenſo interim igne exſiccent, ſubterranea loca, cellas ab humiditatibus ſordidis repurgent, ſuffumigia per omnes ædium partes exſuſcitant, quorum materiam plebi hæc loca inhabitanti commodam & optimam præbent, cornua, ungulæ & ſegmenta e coriis præparatis relicta igni injecta, aut ſublimes potius incolant.

§. XXXI. Optime & ſibi, vitæ & ſanitati ſuæ conſulunt, quoniam aer non ſemper emendari poteſt; (emendatur autem aer in locis præſertim humidis, paludoſis, ſtagnoſis & concavis per difficile aut nunquam) qui frequenter aerem urbanum, qui

ordinario

ordinario in ædibus & plateis retentus denſior, craſſior & impurior eſt, eum ruſticano, qui ſolutus & apertus levis & ventilatus, multis exhalationibus peregrinis expers, a ſolis cæterorumque forte ſiderum calore & lumine explicatus magis eſt, mutant. Melius adhuc agunt ii imprimis, qui de appetitu ciborum proſtrato digeſtioneque & nutritione difficili conquerantur, morbis chronicis & contumacibus detenti, in affectus hypochondriacos & pulmonum vitia proni aliique valetudinarii & quibus alias noſter aer minus convenit, æſtate atque autumno commoda tempeſtate peregre abeunt, ſeque in loca, quæ ſereno, puro, libero ſicco & aquis claris ſalubribus fruuntur & præ aliis in montanos quosdam tractus ad tempus quoddam recipiunt, cumque aere vitæ diſpoſitionem & concatenatarum curarum mutant ſimul. Celeberr. Lanciſius lib. de advert. Rom. cœli qualit. Cap. IX. §. III. De Romanæ urbis incolis ac accolis refert: ſi poſt ſolſtitium æſtivum ſpirante maxime auſtro, tam male ſe habeant, ut, niſi ad montes confugiant, facile e vita decedant. Mirum quippe eſt, quantopere aeris cum aere mutatio, itinere facto feriarum cum otio, corpus pariter ac animum excitet, firmet & recreet; quam in rem Erotianus belle ait: Migratio interdum medicina, & in morbis mutatio loci ſæpe ſalutifera. Præter hunc & paſſim alia loca egregia apud Hippocratem lib. IV. Epidem. Sect. V. t. 19. Avicennam lib. I. tit. 4. Senec. de tranquillit. animi & quæſt. nat. lib. 3. c. 3. epiſt. it. 85. Strabonem lib. 5. p. 238. occurrunt. Mihi præ aliis placet Ciceronis lib. de Clar. Orat. cap. 16. & ille ad Gallum lib. VII. Epiſt. 26. quæ tamen jam ob chartarum anguſtiam tranſcribere nolo. Exemplo ſint Angli, qui ex vitio atmophæræ ſuæ in phthiſin ſunt proni, hi quandoque itinere in Galliam & præſertim Avenionem facto aut immunes ab ea diutius manent, aut optime ab ea penitus liberantur. Ita qui in Hiſpaniola Americæ Inſula & vicinis Inſulis morbo ab aere loci inſveto corripiuntur advenæ, hoc unico remedio ſanitatem recipiunt, ſi alta loca adeant montoſa, ac ſi per menſem unum aut alterum ibi commorentur. Videbis hinc Imperatores, Reges, Principes Magnos atque Magnates pro anni temporibus atque tempeſtatibus mutatis, loca, itinera faciendo mu-

do mutare & quas frequentes cœli mutationes Regibus Hiſpaniarum leges antiquæ imponunt. Legesque id ipſum jam olim hoc inſtitutum fuiſſe apud Curt. l. 5. c. 8. Treunerum ad Cluverium p. 172. Neandr. in Præfat. ad Erotem. græc. lingv. p. 44. Athenæum lib. 12. inter quæ exempla illud nimirum notiſſimum eſt, Reges Perſarum Suſis hiemaſſe, æſtatem degiſſe Ecbatanis, per autumnum verſatos fuiſſe Perſepoli, ac reliquam anni partem in urbe Babel. Scipio Africanus dicere ſolitus eſt, eum repueraſſe, quoties ad Cajetam ſe contuliſſet, & conchas cum Lælio, Amico collegiſſet ſuo. Ex variis inſuper literarum monumentis paſſim conſtat, veteres, ſi aer ipſe emendari nequeat, aerem commutandum diligenter ſvaſiſſe. Valet etiam hic, quod Celſus dixit lib. III. cap. 1 Peſſimum ægro eſt cœlum, quod ægrum fecit. Aliis quoque morbis qui ex aere non nati ſunt æque commigratio utilis eſt, de quo item multæ hinc inde proſtant obſervationes, ex quibus ſingularis illa Hildani eſt, quæ modo exemplo ſit p. m. 935. de homine ultra annum graviſſime ex vulnere quodam ægrotante & a primo ſtatim die itineris aerisque mutati inſigniter, ſicque deinceps indies melius habente. Ita Veslingius in not. ad Proſp. Alpinum cap. 9. ait. vidi ſæpe peſſime affectos & in oſſa ipſa fæde ſæviente veneno morbo cum extrema alibi omnia fruſtra tentata eſſent in Ægypto citra magnam præſidiorum vim, noxiam luem evaſiſſe. Notæ mihi ipſæ quædam foeminæ Lipſienſes ſunt, altera affectioni hypochondriacæ, altera albo fluori obnoxia, quibus Lipſiæ ſemper male eſt; in Marchiæ vero Brandenburgicæ & Luſatiæ inferioris certis quibusdam urbibus, ubi quotannis per aliquot tempus commorantur (utpote regionibus ac locis arenoſis, ſiccisque aere, eapropter etiam ſalubriori) ſemper ſe habent optime; imo, quod curioſum, obſervatum eſt, reduces Lipſiam ſaltem appropinquantes protinus iterum mala ſenſim redire ſentiunt ſua. Atque ſcio multos, qui Lipſiæ commorantes de vertigine, capitis doloribus, anxietatibus, laſſitudine, appetito imminuto &c. ſemper conqueruntur, in vicina ſaltem oppida, aut Dreſdam, aut in Luſatiam aut Sileſiam &c. provecti,

nihil horum incommodorum sentiunt. Si aliud adhuc forte exemplum desideres. De B. D. Grapio Theolog. Rostoch. quondam eximio prostat vid. Rostoch. literar. pag. 192. cum semper Lipsiæ valetudinarius esset ex consilio Medicorum Lipsiensium aerem Lipsiensem cum Rostochiensi commutavit, ex quo mox convaluit meliorique valetudine deinceps fruitus est.

§. XXXII. Ut ut hæc sunt & quæ correctione ac remedio opus habent, non tamen desunt varia, quæ ad salubritatem aeris potius faciunt, quæque de ea testantur. Quare declarandum arbitror, juxta alias passim traditas salubritatis causas ex variis, insalubritatem aliis maxime corrigi subvenientibus; corrigitur vero optime juxta solis statim exorientis illustrationem, cui acclivis ratione circumjacentium versus hanc cœli plagam ad meridionale latus usque se extendens urbis positus, feliciter expositus est, a ventis orientalibus & septentrionalibus noxiam vaporum copiam disjicientibus, serenantibus corruptionis vindicibus per situm urbis sic etiam opportunum liberius admissis a quorum afflatu potius aeris salubritas merito deducitur ut modo est indicatum, qui dominantes salutem constantem promittunt. Qui & jamjam causam meam juxta alia alibi jam indicata agere & de excusatione mihi gratulari videntur, ne injurius in Lipsiensem aerem videar. Quo frequentius igitur hi tempestatibus quoque convenientibus nostram urbem accedunt eo magis salubritatem quoque atmosphæræ ingerunt. Hinc humorum, qui in nobis sunt validior circulatio & a corruptione & putredine conservatio; & eorum quæ extra nos sunt, noxiorum correctio & ejectio. Sic & v. gr. Cairus Provinciæ ægyptiacæ caput quotannis febre pestilentiali ab hyeme ad æstivum solstitium misere vexatur, quæ tamen etesiis ventis accedentibus cessat. Conf. Mundius in operibus p. 47. Alex. Petronius de victu Rom. lib. IV. p. 145. Si Romæ æstate aquilo aut flavonius flaverint, Romanarum vinearum aerem non insalubrem esse censet. Sic Venetorum urbs in ipso medio stagno locata & morbis sæpius pressa, perflantibus vero eam septentrionalibus ventis sensibili-

ter

ter mitigantur & depelluntur. Adeo hoc quoque verum est, ut apud Medentes nostrates etiam in confesso sit, mutatis ventis subito mutari in ægrotantibus imprimis affectus atque ejusmodi effectus, in convalescentiæ statu succedere rem notabiliter in melius &c. Juxta enim Hyppocratem lib. de flat. mortalibus vitæ & ægrotis morborum aer potissimum est autor & dominus. Nec hæc insuper suo destituuntur effectu; fruuntur enim incolæ vegeta sat sanitate & longævitate. Siquidem passim non pauci apud nos inveniuntur, qui vitam vegetam & sanam in seros, Pylios atque Cumæos annos extendunt, octogenarii, qui nonagesimum & centesimum annum atque adeo ultra attigerunt, & vivendo adscenderunt, ut ex annuis, schedulis observationibus & annalibus constat ut videre est in Vogelii Annal. Lipsiens. p. 15. 17. 43. 73. 538. 561. 665. 723. 730. 737. 821. 894. 966. 998. 1065. Porro quoque ad aëris salubritatem cognoscendam sunt nobis aliæ adhuc notæ, inter quas corporis habetur habilior habitus, hinc Croto Italiæ civitas ob athletarum multitudinem saluberrima visa est. Præterquam quod aër quoque chylificationem adjuvet, uti per experimenta ope machinæ papinianæ facta videmus; humidus efficit pulchra corpora candida & tumida, opima, macilentaq; restituit, sub hoc nutritio felicius absolvitur, quoniam hæ aëris particulæ solidorum expansorum & laxatorum poris sese facilius insinuare possunt, quo & via sanguini & cum ea partibus nutritiis paratur, & occasio expansioni & appositioni nascitur. Hinc Prosper Alpinus affirmat se non alibi tam pingues homines vidisse quam in urbe Cairo, adeo, ut & mares æque opimas mammas ac fœminæ habeant, ob aërem humidum ex inundatione Nili redundantem diætamque humidam, quam servant ac refrigerantem. Strabones, hernioſi, claudicantes, gibbo deformati, hic si causam curiose perquiras, non tam aëris & aquæ vitio, quam nutricum & gerularum supinæ negligentiæ & ruditati & aliis evidentibus causis, potius sæpissmeque sua hæc incommoda debent. Habentur & aëris commodi signa, laudabilis Lipsiensium temperies utplurimum sanguinea notabili sæpius, maxime in fœminis phlegmate permista,

mista, cutis bene colorata & florida satis, non rubicunda nimium, quæ Celso suspecta; nec adeo pallida, flava & lurida, quæ omnium pessima; sed svavis & visui grata ab Hippocrate commendata. Iis præterea accensetur vocis claritas, hinc ipse Phasia nos hominum omnium gravissime loqui ob aëris crassitiem & aquam palustrem dicit; econtra incolæ Bliterræ Galliæ urbis gratissimâ omnium loquela gaudent, quam bonitati aquarum adscribunt. At nostratibus non solum volubilis est lingua satis, nec os seratum, unde affabilitas grata & sermo clarus atque decorus. Fœcunditas item mulierum, vid. O. Rudbekius in Atlant. ex his signis non excluditur, qua prærogativa fœminæ Lipsienses jure non excludendæ veniunt. Acuta tandem incolarum & festiva ingenia ad studia & artes aptissima, suaves mores & elegantes, animi vis cum prudentia conjuncta, quæ omnia de Lipsiensibus uti in genere de Misnicis merito deprædicari possunt, his annumerantur quoque. Hinc Plato in Timæo ac in Menexeno Atticam terram esse ingeniorum fertilitati præcipue accommodatam autumat, atque Crotoniatarum locus saluberrimus olim habitus fuit, etiam hoc nomine quod brevi temporis spatio quamplurimos produxerit, tum athletas, tum philosophos seu corporibus pariter ac animo præstantes viros. Hodie adhuc a Geographis hoc argumento China ac Insulæ Orcades inter alia loca celebrantur. Ut enim & aër & aqua & terra & tempestas differunt, ita etiam hominum formæ & mores. Audiamus hac de re Hippocratem loquentem lib. de aëre, aquis & locis, in fine: „Magna enim ex parte homi„num formas, & mores regionis naturam imitari reperias: ubi „enim terra pinguis est, & mollis & aquosa, aquæ vero valde subli„mes, ita ut æstate sint calidæ & hyeme frigidæ, quæque ad anni „tempora probe habet, ibi homines carnosi sunt, articulis non „discreti, humidi, labores non ferentes, ac utplurimum pravi „animi. Quin etiam segnes sunt & somnolenti, & ad artes „crassi, neque subtiles neque acuti. Ast ubi regio nuda est, non „munita, aspera, quæque hyeme prematur & sole exuratur, ibi „duros, graciles, articulis discretos, carnosos & hirsutos homi-

nes

„nes cernis & qui ad aliquid agendum natura sunt industrii & „vigilantes; mores autem habent superbos, in iram proclives „& pertinaces, magisque feritatis quam lenitatis participes, eos„que ad artes acutiores & solertiores & ad res bellicas gerendas „meliores deprehendes. Quin & reliqua omnia, quæ e terra „producuntur, terræ ipsius naturam sequuntur. Atque maxime „quidem contrariæ naturæ & formæ sic se habent, ex quibus „conjectura ducta, si reliqua considereres, minime aberrabis.

§. XXXIII. Hæc est commodi incommodique apud nos miscela: Etenim nulla plaga est, cujus felicitatem nulla flagellat calamitas, nulla adhuc urbs in loco adeo salubri constituta est, si etiam Locridem Crotonemque Italiæ oppida mihi nomines, quæ saluberrimæ omnium urbes semper ob miram aeris salubritatem, quam Plinius II. cap. 92. deprædicat, & refert, ibi etiam pestilentiam nunquam serpsisse, habitæ sunt (unde vetus proverbium: Crotone salubrius) quæ a morbis & morte sit immunis, nullaque ita munita est, ut cladem fatumque excludere posset. Ipsa Macrobiorum regio dicta, quam Æthiopia continet, ideo olim adeo celebrata, eam inhabitantes tandem non sine omni prorsus morbo evita sustulit. Difficile reperies civitates, quibus positus situsque a Medicis desideratus, atque omnibus numeris absoluta hæc felicitas contigerit. Difficile videbis agrum, quem vis major novercantis fortunæ nulla conturbet; quævis fere regio, imo quævis civitas suos patitur morbos, quos endemios vocant, & a conditionibus certis aëris, ventorum, aquarum, telluris, fructuum &c. oriundos & juxta alios solis atque stellarum aspectibus. Non omnia enim optima ubique obtinere possumus, sed prosperitatem semper aliqua comitatur labes atque injuria. Ipsa felix Arabia a suavibus & salubribus odoribus, quos longe lateque spargit, aliisque vitæ commoditatibus ita nominata, sed eadem pestilentibus morbis ex gravitate aëris contractis male impedita, ac China apud omnes audit amœnissima, sed & eam multa pericula multæque miseriæ subinde obruunt. Madritum Hispaniæ Metropolim

ſerenus aër, tenuis & ſalubris ambit, ſed non raro infelix infrigidans ventus ex Gallicia veniens & incauto, dum blanditur, lædit manus pedesque reſolvit. Atque aliæ regiones alia habent de quo conqueruntur: Ægyptus, fertiliſſima illa regio, ab aeris ſalubritate, ſitus commoditate, ſoli bonitate, aquarum Nili nobiliſſimi fluminis fœcunditate, ſatietate, hilaritate & deliciis, quas affert, per tot ſecula adeo commentata, Crocodilos quadrupedes, immanes & peſſimos flumine pariter ac terra infeſtos timet eorumque devorationes dolet &c.

§. XXXIV. Jam æſtumantibus hæc, conſtabit, aerem Lipſienſem non adeo eſſe inſalubrem, ut a plurimis equidem habetur & creditur; magna enim ubique eſt & frequens Lipſiæ verſantium, non advenarum ſolum, ſed civium etiam querela, ad florentiſſimæ Lipſiæ felicitatem nihil præter aeris ſalubritatem poſſe deſiderari. Intueamur igitur eum ut providum parentem, qui vitia & interitum præcocem, niſi impediretur, a ſuis avertere ſtudeat alumnis. Et ſic habes, Benevole Lector! urbem Lipſienſem, Lipſienſia loca, aerem, aquam, habes valetudinem, habes remedia.

II. DIS

II.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE SALUBRITATE SILESIÆ

PUBLICE HABITA LIPSIÆ

DIE XXVIII. APRILIS ANNO MDCCXIX.

AUTORE & PRÆSIDE

D. CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI.

PROOEMIUM.

HIppocratem, qui merito ſummus Medicinæ Parens ſalutatur, ut ob multa præclara, quæ reliquit, Medicinæ dogmata, quæ non finxit, ſed invenit, & non tapicibus, ſed nervis eſt metitus, omnes admirantur, in eo præſertim iterum iterumque laudandum cenſeo, quod non modo ſtudium phyſicum & Anatomiam & Chirurgiam Medicinæ jungendam commendavit, atque naturæ proceſſum, modum & ductum in curatione monſtravit, eumque ut ſequantur ubique Medentes eſt hortatus, ſed & quod ex victus, aëris, tempeſtatum, anni temporum, aquarum, locorum varietate ac mutatione, mutationes quoque & alterationes in humanis corporibus & originem variorum morborum deduxit ſcitiſſime & quibus vitiis certæ ætates hominum, temperamenta, ſexus, Regiones, Climata ſint expoſita, explicavit. Inter cætera hinc maxime Liber de A. A. L. & ille de morb. vulg. eminent, magnamque utilitatem donant. Hæc ut percognoſceret varias Regiones intineribus factis, adiit ipſe, & indolem conditionemque, affectus atque ſucceſſus, ejusmodi permulta loca ſcrutatus eſt diligentiſſime. Sequutus hunc & laudabiliter Galenus, qui pariter varias peregrinationes terra, marique diſcendi cauſa ſuſcepit. Optandum eſſet, ut poſteri Phyſici & Medici horum eminentiſſimorum in Medicina Virorum etiam in hoc utiliſſimo ſtudiorum genere obſervandi ſedulitatem fuiſſent ſecuti, longe hodie feliciores eſſemus in aëris ventorum, aquarum locorum eſſentia, indole, proprietatibus &c. exponendis quæ adhuc in multis valde ſunt abſtruſæ. Hos itaque Anteſignanos eximios Medici quoque ſequantur & curæ merito omnes habeant, ut Chorographia medica jucunda non modo ſed & utilis inſtaure-

tur,

tur, perficiatur, tantoque magis, quanto ardentius hæc desideratur. Nobis hac vice communis istius Medicinæ Præceptoris Hippocratis præceptis exemplisque aliorum quam & potissimum svavissimæ Silesiæ gratissimæ dilectissimæque Patriæ vera æstimatione jucundaque memoria, quæ firmiter insidet animo, commoditatem & salubritatem his literis celebrare ratio constat, ac tantum non religione quasi jubemur atque Minerva Hygea dixit in aurem, imo jussit. Instituamus proin bonis verbis optimam Silesiam salutantes curiosæ peregrinationis (quanquam festinatione & in transitu quasi) iter, ac in eo non modo Silesiæ limites, sed & interiores recessus, ut vel potiora potius & breviter magis quam prolixe & ornate proferamus, quæ ad Silesiæ faciut salubritatem. Veniam itaque concedat nobis B. L. si parum meditationis compositæ, parum elegantiæ inibi inveniantur, ac si omissa quædam annotentur aliqua saltem docebuntur, quæ eam docebunt & nos jam satis habeamus esse hic Silesiæ, esse Patriæ nostræ Charissimæ quoddammodo salubritatis documentum. Quod si frustra laboraverimus hoc saltem effecerimus, ut plura & meliora cogitandi atque scribendi ansam dederimus, & si possibile maturiorem aliquando nos fructum edamus. Jam igitur divina ope rem ipsam aggrediamur.

§ I.

SVavissimæ Silesiæ prærogativarum adeo multa illustria concurrunt & affluunt argumenta, ut tanto confidentius laudes quasdam Nobilissimæ huic Provinciæ debitas, præ aliis multis & jure quidem tribuere possimus. Tanta certe Summi & Clementissimi Numinis in Silesiam Clementia est, ut totam multifaria atque ampliſſima longe coronet auge atque benedictione. Nemo enim hic facile quicquam desiderabit eorum, quæ Regionem amœnam, gratam atque acceptam commendat. Hac certe nulla fere Provincia domi forisque celebrior est, quæ cœli indulgentia, soli clementia, situs opportu-

nitate, ubertate frugum, metallorum reconditorum, commerciorum cum exteris & diſſidis longiſſime mercatorum pretio, urbium, arcium, vicorum multitudine, magnitudine, ingeniis, moribus & ſtudiis incolarum cum aliis facile comparanda eſt. Nil jam attinet, ut ſingulæ Sileſiæ eximiæ dotes longius petantur, cum ad aliarum artium ordines id attineat. Etiam floret per ſe laudibus ſuis Sileſia, ut ejusmodi prædicatione parum videatur acceptura ſplenodris, digna quæ ab aliis ex aſſe celebretur; illud tantum, quod jam muneris noſtri eſt noſtrique inſtituti magis, ſequamur, & quod in quolibet loco primum propemodum in laudem gloriamque vocatur, quoniam Generi Hominum ſanitate ac commoda vita nil dulcius exoptatiusque eſt unquam, vitalem nempe ac perennem illam ſalubritatem, qua præ multis aliis Regionibus gaudet, ſcripto memoremus.

§. II. Attribuimus vero ſalubritatem omnibus iis rebus naturalibus congrue ſe habentibus, ut ſunt aer, venti, aquæ, fluvii, terra, arbores, plantæ, herbæ, quæ ſub terra conduntur, animalia, alimenta, eſculenta & potulenta, medicamenta, quæ ſanitatem ſ. omnium in corpore humano actionum integritatem, quæ in convenientia motus atque mixturæ partium fluidarum, & in congrua ſolidarum conformatione, robore atque organis viisque liberis aptisque conſiſtit, juvant, præbent, ſtabiliunt, ampliant præſentem, atque reſtituunt & inſtaurant labeſcentem læſam atque amiſſam. Quoniam hæc magnam potentiam in harum temperiem & motum obtinent. Quæ ejusmodi ſint in Sileſia jam æſtimemus ut innoteſcant eadem.

§. III. Atque locorum ſalubritas, quæ hominibus, animalibus, imo & vegetabilibus ſalubritatem quoque dat & integritatem potiſſimum ab aëre dependet, quare ab eo recte incipere poſſe videmur. Immenſum hoc fluidum, diffuſum undique, omnia complectens omniaque pervagans, quod ſine intermiſſione inſpiratione haurimus, corpora quævis ad intimos usque receſſus penetrat & afficit motu ſuo continuo, varie, pro variis, quas continet, particulis. Si igitur bonis iisdem utilibus ſubtilibus ſpirituoſis æthereis temperatis concinne quoad humiditatem, ſiccitatemq; ejusmodi, quæ calorem frigusq; &c. inferunt, quæque

jugiter

jugiter moventur, est præditus, actiones in corpore vitales omnes conservat integras diu, i. e. sanitatem sua salubritate & vitam concedit; hinc jure veteres scitissime aërem occultum vitæ cibum, spirituum pabulum, animam ore hauſtam & auctorem omnium, quæ Corporibus accidunt, habuerunt. Contra si vitiatus est, a vitiosis, impuris, crassis, vappidis, inertibus, intemperatis, humidis nimis, salinis, sulphureis, fœtidis, acrioribus, malignis contagiosis &c. totam Oeconomiam animalem afficit, pervertit, conturbat, ac destruit, &c. Luculentum hujus rei suppeditant testimonium, morbi populariter grassantes, quorum communis indoles communisque origo a nulla alia causa commodius certiusque deduci potest, quam á communi universalique medio, in quo versamur, aëre. Atque si tanta vis per se aëri inest afficiendi, multo magis venti, qui sensibiles imo sensibilissimi sunt aëris motus, atque ipsum potissimum alterant varie, majorem adhuc possident potentiam, quoniam fortius alliduntur fortiusque atque intimius penetrant. Hinc si vehementissimus ille est, mirandos imo horrendos videmus effectus, maris vastissimi molis & fluminum fluctuationes & inundationes, arborum dejectiones, ædificiorum deplorandas ruinàs; quorum omnium tristia exempla non ita pridem atque non simplici vice audita oculisque comperta habemus.

§. IV. Varia sunt, quæ aërem alterant eumque vel in melius, vel in deterius mutant, &c. Situs positusque locorum quoad solem, Cœli plagas Ventorum exortum, aquarum, fluminum, marium, telluris, montium, sylvarum, subterraneorum quoque, aliæque ipsorum locorum conditiones, & quæ inibi crescunt atque inveniuntur, maximæ hac ipsa in re, imprimis sunt considerationis, quoniam hæc omnia atomos in aërem atque atmosphæram nostram propius mittunt. Etenim aër non nisi velut terræ & aquæ lanugo est, ex multifariis adeo effluviis conflata & vastissimo spatio cœlum inter terramque diffusa. Pro his non omnes terrarum tractus & loci similes, sed pro harum varietate varii sunt, quoniam & non omnes ab omnibus semper atque ubique æqualiter afficiuntur, sed dantur variæ vicissitudines & causæ, quæ impediunt aut promovent effectus

alias certe subsequuturos, daturque certis finibus coercitum earum pondus & motus, ut non ultra ferantur &c.

§. V. Felices igitur, terque quaterque felices istæ regiones, quæ felicem & opportunum situm ac positum salubremque aërem obtinent, salubriaque alunt & proferunt. Felices beatique gaudeant incolæ, qui talem felicem terram inhabitant, quoniam per medium hoc corpore pariter ac animo valent, ac valent diutius. Hac felicitate nihil felicius a Deo mortalibus datum est. Silesia vero quoque habet ejusmodi, nec unum, sed plura, de quo sibi jure gratulari potest. Namque eam benigno sat vultu respicit totam cœlum. Si situm spectemus in orientem commodissimam cœli plagam vergit, atque speciatim dicendo, minus longe in latitudinem ad meridianum & occidentale latus, quam recta regione spatiosam ad orientem atque septentrionem, temperato, subfrigidiori paulo, sed non ideo insalubriori climate totam locatam regionem videmus. Hinc temperies atque vicissitudo, quæ hominibus, animalibus pariter & vegetabilibus perquam accommodata est : Aer enim temperatus temperatis naturis saluberrimus est, & nulla qualitate excedens, qualis vernalis omnibus convenit, omnes temperato, sereno reddimur hilariores. Non ut Africa violento sole Silesiam torret, non riget aspero & perpetuo, ut septentrionales regiones, gelu. Nec assiduis procellis, ut Gallia turbatur. Nulla paludum gravi nebula inficitur. Non malo premitur Jove, qui Cimmerios, & Magellanicos affligit. Non ea pericula, æque miseriæ eam impetunt, quam quidem Chinam, felicem alias regionem, cui nunc ignis cœlitus immissus totos pagos, tota oppida, imo urbes totas, imo provincias devorat, nunc inundationes & diluvia diglutiunt, nunc terra diductis suis faucibus absorbet. Non terræ motibus, ut Italia, terretur. Non bestiarum terra fluminibusque infestarum, & vel solo nomine terrentium, lamiatus non dolet. Nec dies ob æstum, nec noctes ob frigus adeo incommodæ sunt, ut in vicina Hungaria. Solem non tegit aut avertit Silesiis nubilosa nebulosaque tempestas continua, quæ per hyemem maxime Angliam, cœlorum matulam a quibusdam ideo dictam, obscurat. Nulla hic aquarum fœditas, nullus hic lacus,

lacus, nullus hic ſpecus, nullæque cavernæ, halitus lethales ſpirantes. Non moleſtant Sileſios, culicum inſectorumq; aliorum denſa examina, quæ Careliam Sueciæ provinciam. Non terrarum tractus informes, difficiles, cultu adſpectuque triſtes ac horridos monſtrat Sileſia, quales Hiſpaniæ plagæ ad pyrenæos montes imprimis, (unde quidam in Hiſpania mori optaverunt ſibi) ſed ejusmodi, qui oculos non modo mire delectant, ſed & animum reficiunt. Neſcit felix Sileſiæ terra morbos endemios notabiles; morbi epidemii contagioſi quoque ibi ſunt rariores, & ſi quidam quandoque fuere, non diu tamen graſſati ſunt. Potius amicæ ſunt Sileſiæ roſcidæ æſtatis noctes dulciſſimum vitaleque ſaccharum afferentes, amicique ſuaves eteſiæ, quia nivibus liquefactis in jugis tauricis longinque & montibus hungaricis, bohemicis & moravicis propius accedunt, oriundi, æſtivum æſtum temperantes, ut alias jam amœnas dotes taceamus, quibus quiete atque ſecure fruitur, & uberrimam ſine omni periculo aut omnium commodorum colligit meſſem.

§. VI. Qua parte oriens eſt ex parte adhuc Poloniam Majorem planam regionem, (quæ etiam a planitie nomen accepit, Slavonica enim lingua planities Polo vocatur) ex parte quidem altos ſarmaticos montes decurrit. Per illam venti orientales omnium ad valetudinem, ut ordinario, ita maxime Sileſiis accommodati, liberius accedunt, quoniam ſubfrigidi ſunt & ſicci. Nec adeo obſtat, neque Sileſia lugeat, quod horum ſalubrium ventorum alia ex parte ab Hungaricis altiſſimis montibus acceſſus impediatur, cum potius humidi, ab Hungariæ vaſtis paludibus elevati transvectique vapores, per hos ipſos excludantur, ſanitati vitæque nocivi. Hungaria enim ob hunc ſoli ſqualorem & viſciditatem aerisque humiditatem maxima ex parte inſalubris habetur. Hinc Balbinus Miſcell. R. B. lib. 1. c. 5. notanter advertit, Imperatores ac Reges quondam Bohemiæ, ut Sigismundum, Albertum II. Uladiſlaum II. Ludovicum II. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam cum conjuge ſua Anna, Ferdinandum II. in Hungaria & Auſtria (de qua notiſſimum illud eſt: Auſtria aut ventoſa aut venenoſa) ægre ſe habuiſſe ſemper, adeo ut coacti fuiſſent, has regiones

cum Bohemia ſæpius permutare, ubi infirmi etiam priſtinam valetudinem brevi recuperaſſent.

§. VII. Meridiem verſus perpetuo in longitudinem partim montibus Bohemiæ altiſſimis, (ſudetis Ptolomæo dictis, qui partem vaſtiſſimæ herciniæ ſylvæ relictam eſſe putantur, quorum maxima pars Rhipæi aut Riphæi, a Riphato forte Gomeri filio Riphæorum Principe vocatur, qui locum quorundam mendacio fecerunt, quippe traditum eſt, cum Diis hic olim gigantes pugnaſſe, unde gigantei ſunt nominati) complectitur, partim Moraviæ ſylvæ Gabretæ Lazio dictæ, ſummis montium cacuminibus tota cingitur; His denſis ſylvis ſimul obſitis non ſolum ferventior & magis moleſtus ſolis ardor lenitur uc temperatur, ſed & (quod adhuc ultilius eſt) forti quaſi propugnaculo adverſus meridionalium ventorum malignitatem Sileſia defenditur, his cohibiti ad interiora non penetrant. Nam notiſſimum eſt ventos meridionales omnium nobis eſſe inſaluberrimos, quoniam ſunt humidi & calidi, impuri, lentiſſimi, (unde & plumbei non male appellantur) atque ſublimia vix aſcendunt; adeoque non elevant vapores, ut potius detineant eos. Ex horum indole memoratis facile cognoſcent animum adverentes, hos eſſe ſanitati & vitæ infenſiſſimos, quippe non modo debitam elaſticitatem debilitant peſſime, ſed & omnes fibras partium ſolidarum motrices, carnoſas, tendineas, nerveas de ſuo tono dejiciunt, laxando nimis ac deſtruendo, ut plus juſto dein ab affluentibus onerentur, extendantur præter modum, humores quoque ipſos, imo ſpiritus animales corrumpunt, vappidos reddunt illorumque motum circulatorium inhibent, & quoniam hæ ambæ corporum partes inter ſe mutuam ſic quaſi ſerram trahunt, labem illatam communicant & per hanc ad impuritatum retentionem, ſtagnationes, corruptiones atque ad cachexias, ſcorbutum, tumores, epilepſiam, paralyſin, affectus ſoporoſos, memoriæ debilitatem, ſurditatem, dolorem capitis, guttam ſerenam, catarrhos & ſimiles ac tandem quoque ipſam putredinem & malignitatem concipiendas reddunt aptiſſimas. Malam hanc indolem exinde acquirunt. Sci: Licet ex præcalidis Africæ locis & Libyæ aridis arenis proficiſcantur,

scantur, tamen dum mediterraneum transeunt mare vapores calore elevatos secum abripiunt nobisque inferunt ad nos delati; nam venti non solum indolem referunt eorum, a quibus proveniunt, sed & eandem illorum, per quæ transeunt. Horum labem non modo in Microcosmo, Homine, sed & animalibus, brutis atque in toto Macrocosimo variis luculentis argumentis percipimus, sic aves, hirundines, galli &c. imprimis aquaticæ, mox vel insecuturam humidam tempestatem, quam ordinario secum afferunt, prænunciant, dum plumas, alas rostris fricant & explicant, insolitasque & moditationes & actiones edunt & cantus &c. sic granaria, cellæ &c. meridionali auræ expositæ citius suam bonitatem perdunt citiusque & fructus, semina &c. vermibus exeduntur, vina cerevisiæ &c. quæ inibi asservantur, corrumpuntur, imo ædificia huic exposita detrimentum ruinamque citius minantur, ut plura taceamus.

§. VIII. Ad occidentem Bohemiæ saluberrimæ quoque Regionis & utriusque Lusatiæ limibus, ad Marchiam usque circumscribitur. Qua parte adhuc limites Bohemiæ, alta montium juga itidem protenduntur, qua parte Lusatiam imprimis inferiorem spectat & novam Marchiam Brandenb. densæ sylv hinc inde, terris & agris arenosis aridis magis, sunt interdistinct quæ ventos occidentales impetuosos, procellosos, nubilososq humidos quoque, pluvias copiosas & nives ex Oceano atlantic advehentes, (hæ enim particulæ humidæ in vapores prius solutæ, dum ad frigidiora nostra loca perveniunt, ibi densatæ æstate pluvias, hyeme nives concedunt) parum quoque salubres, impediunt, quo minus libere Silesiam accedere, eamque transire possint. Quoniam & per Lusatiæ Inferioris & Marchiæ oras transeunt, in quibus copiosæ arenæ jacent, a Regionum harum sicciate, humidi hi venti in transitu temperantur. Ejusmodi enim Regiones siccæ, aëre gaudent saluberrimo, incolasque sanos alunt atque longævos, quippe aër siccus & moderate calidus humorum motui conservando & spirituum elaborationi omnium aptissimus est.

§. IX. In Septentrionem, secundum longitudinem ad Majorem Poloniam ad Neo-Marchiam Brandenburgicam usque

in

in magnum salubritatis momentum se explicat. Cum enim in longitudinem hac in plaga universa Silesia extendatur & Polonia pateat latissima & vastissima, æqualis, arenosa & sicca, quæ demissiori in loco, Silesiæ respectu posita est, nullique montes interjaceant notabiles, liberum ventorum septentrionalium admittit aditum, adeo ut nulli in Silesia sint frequentiores, quod de Marchia Brandenburgica itidem idem dicendum est. Hi vero ab ipso Hippocrate jam Lib. de Morb. sac. conf. & Lib. de A. A. & L. saluberrimi omnium & merito quidem habiti sunt, nec ab illa sententia alienus Aristoteles est. Licet enim frigidi sint & violenti & ex parte incomodi, æquales tamen sunt & constantiores: per experientiam enim constat, homines, quos venti ejusmodi afflant, & has regiones incolunt, coloratiores, vegetiores, robustiores, saniores, longævosque, paucioribusque morbis obnoxios expositos atque levioribus conf. & Plinius Lib. 2. c. 49. Celsus Lib. 11. c. 1. Rhasis Lib. 5. de re med. c. 4. Baco de Verul. H. N. p. 451. præ aliis esse. Nam ex alto deorsum feruntur, rectilinei magis & vividi refrigerant, stringunt terram & corpora omnia, quæ tenet, & hoc ipso impediunt, ne atomi forte nocivæ ex variis & innumeris adeo corporibus humidæ, crassæ, excrementitiæ putridæ &c. cum aëre miscean-tur, & si infectus iis est aër, dissipant, abripiunt, repurgant, corriguntque eundem. In hominibus pari modo, fibras roborant motrices earumque tonum firmant atque restituunt ac armant, ut fortius impellant humores, ut impelli dein & fortius ab humoribus rursus queant. Spiritus animales laudabilissima corpora in corporibus detinent earumque dissipationem jacturamque inhibent &c. quibus mediis circulatio humorum, a qua sanitas vitaque animalium pendet omnis, debita & integra servatur atque redditur promtior, omnesque actiones instituuntur meliores, sicque ut aëri serenitatem afferunt, ita hominibus corpora sana, sensus mentesque alacres reddunt atque præstantes.

§. X. Causa salubritatis Silesiæ quoque primaria & universalis magis est ejus situs positusque altus: quo altiori enim excelsoque loco, loca sunt locata, eo puriori, tenuiori, sicciori atque

atque salubriori fruuntur aëre. Nostra Silesia vero Regni Bohemiæ altissimæ Regioni vicina, altum quoque in Germania obtinet situm: Hinc & adeo multi fontes fluminumque scaturigines & rudimenta atque incrementa ex ipsa Silesia & ejus limitibus profluunt. Eorum enim, quos primæ hic magnitudinis vocare liceat, primum Vistula est, quæ in Teschinensi Ducatu initium sumit. Albis hunc sequitur, unus ex nobilissimis Germaniæ fluviis, qui circa Ducatum Jaurovienſem ex ipsis, montium sudetorum radicibus ad Bohemiam Saxoniamque utramque devolvitur. Ipsa Odera amnium Sil. maximus per mediam Sil. decurrens e limitibus Oppavienſis Ducatu procedit. Mediæ magnitudinis amnes, qui hic nascuntur, sunt, Nissus in Comitatu Glacensi atque alius ejusdem nominis Lusatiam rigans prope Ducatum Jaurovienſem. Bartha in Baronatus Militienſis confinibus. Boberus sive Hebrus & Vistricius in Ducatu Svidnicensi. Quissus cum Catto Isera, Upava Zakeloque in Jaurovienſi, Olava in Monsterbergensi. Morava & Desna Moraviam transiens ad fines Oppavienſis D. Weida in Baronatu Wartenbergico. Bilus ad Nissam, Stobra ad Bregam miscetur Oderæ, Sprotta ad Sprottaviam Bobrum influunt in ipsa Silesia profluentes. Infimæ magnitudinis fluvii ortum ex Silesia trahentes, multo sunt plures hic non longius recensendi, ut & jam innumeros rivulos atque torrentes, limpidos atque crystallinos, innominatos nedum incolis ipsis satis notas taceamus. Longam eorum seriem potes videre in Henelii Silesiogr. ren. P. I. a. p. 566 usque 593. Nec solum Silesia in universum sumta altius locata est, sed & ejus urbes, oppida & pagos in editiori loco in collibus, in quibus aer, Columella teste lib. de re rust. cap. 4. calore & frigore temperatus est & defœcatior, majori ex parte, excitaverunt Majores.

§. XI. Atque ipsæ dein Silesiæ aquæ, fontes, fluvii, rivi atque torrentes non minimum salubritatis Silesiæ symbolum conferunt, quoniam atmosphæram reddunt salubrem. Si enim aer non totus constet ex aqua calore resoluta ex multorum Chymicorum sententia, certissimum tamen est atque exploratum, aerem immensas particulas aqueas elevatas continere, ut argu-

mentari exin liceat, talem quoque aerem esse qualem aquam. Omnes vero hi rivi fere perennes, gelidas, limpidas, claras, pellucidas, crystallinas, gustui gratas, dulces a priori posteriorique comprobatas salubres undas, quas nec in vicina Hungaria Danubius, aut Nilus forte nec Tiberis aut Arethusæ fons apud veteres adeo decantatus, meliores, & ut alii loquuntur, nectare scatentes, & aereo melle fluentes trahunt atque evehunt, ex arduis & montosis, saxosis & glareosis locis manantes & per terras bonas dulci strepitu excurrentes, talis est etiam aqua qualis terra. Insuper quoque celeri sat cursu feruntur: per quam aquarum per se salubrium velocitatem, ventus semper quidam lenis efficitur, ambientem atmosphæram movens ac ventilans, sicque ad salubritatis modum redigens. Ambo enim, si non moveantur, mox capiunt vitium, motu autem conservantur, corriguntur, aliaque corpora corrigunt &c. Convenientissime hinc Cardanus pronunciat L. II. Cont. c. in Hippocrat. inquiens: „Flumina velociter currentia aërem attenuant faciuntque corpora tenuia, macilenta, mobilia &c. Ideo Tigris a celeritate, qua defluit, celebris amnis inde celebratur, ut e contrario Phasis omnium lentissimus damnatur referturque accolas ejusdem Regionis totos pallidos esse atque inflatos, ideo quoque Padus apud Italos audit male; si vero sic movea tur aqua particulis & effluviis sub vaporum specie elevatis adeoque tenuibus, aeri atmosphæræque communicatis eum refrigerat & humectat, ut effluvia peregrina tempestate imprimis sicciori, squalida ac calidiori, ventis experte, maligna & noxia immutentur atque figantur &c. Hujus rei exemplum in orbis terrarum urbe Roma habemus (ut alia non memoremus loca) ibi enim insalubris aer est omnis, juxta Tiberim vero habitantes minus habent, de quo conquerantur. Unde etiam circa fluvios agri solent esse fœcundiores, quia humidiores; ros enim desideratissimus ex vaporibus collectus de nocte delabens subtili suo succo laudatissimum præbet nutrimentum vegetabilibus. Præter hoc aquæ claræ & puræ atque adeo salubres ad cibum potumque adhibitæ sanitatem integram conservant aut restituunt. Est & aliud harum aquarum emolumentum haud vile,

vile, quod earum incolæ, piſces ſanitati dein accommodatas eſcas præbeant. Notior eſt res, quam ut explicatiorem commemorationem deſideret. Piſces in aquis limpidioribus & puris glareoſis & fluviatilibus captos guſtui ſuaviorem, firmiorem, ſalubrioremque carnem concedere iis, qui ex cœnoſis, tepidis, viſcidis, turbidis, lentis, impuris, ſtagnis & piſcinis habentur, quorum caro mollior & viſcidior eſt. Hinc fluviatiles & maxime ſaxatiles omnes, truttæ, funduli, &c. quorum in Sileſia uberior eſt proventus interque dapes manet eos gloria prima, ſaluberrimum dant cibum. Ex his adductis fit palam, non unum in modum aquam facere ad ſalubritatem, unde recte Rhaſis Lib. 1. de Reg. princ. cap. 2. aſſeruit, nihil eſſe præter aeris puritatem magis pertinens ad ſanitatem, aquarum ſalubritate.

§. XII. Hæc plurimorum amnium laudabilis eſt conditio, de pauciſſimis ſaltem ſi eos perſpectes curioſius, ſcrupulus quidam tibi poſſet oriri. Nec etiam inficiari poſſumus, Bartham mediæ magnitudinis ſaltem, lentum pigrumque & tepidum magis fœculentumve alias piſcoſum valde eſſe fluvium, quippe multiplicia aquarum divortia facit & ſæpius ſe longius diffundit ac terras adjacentes camposque inundat & interdum diutius quoque ibi perſiſtit. Hæc quidem inter malas cauſas referuntur, quoniam quandoque multæ inde relinqvuntur paludes & lacunæ cœnoſæ, ſolum nimiis humiditatibus imbuentes cœnoſaque mucagine obducentes, cui deinceps accedente tepore, putredo infertur, quæ ingratum fœtorem & exhalationem putridam de ſe ſpargit aeremque afficit male, copioſorum inſectorum examinum generationi non raro inſervit, quæ aeri labem ſive vivant, ſive moriantur (viva effluviis cauſticis, quibus ſcatent, mortua putredinoſis) malignam contrahunt. Obſervationes circa hanc rem inſtitutæ confirmant, multos ſemper morbos malignos, contagioſos, imo peſtem, copias Inſectorum inſeqvutos fuiſſe. Teſtes ſi requiras (ne plures nominemus) adeas Joh. Damaſcen. aph. 132. Riverium obſer. 9. p. 697. Verulam p. 923. Valeriolam obſ. Lib. II. p. 95. Quid quod? ipſa Sileſia ſeculo ſuperiori ſimile a locuſtarum copia pervadente eſt experta. Atque non ignotum eſt, has aquarum inunda-

tiones morbos provocare frequentes ac graves, imo novos malignos, putridos, contagiosos, ipsamque pestem, ut multorum ferunt observationes. Evolvi igitur possunt Bonfinius Decad. 1. Lib. 8. Sylvat. Consil. 14. cent. 1. Diod. Sicul. Lib. 12. Eph. G. N. C. an. 9. ut & Montan. Val. Max. &c. Faciunt quoque his fidem omnes illæ urbes, quæ frequentibus inundationibus obnoxiæ sunt, & Roma, Constantinopolis, Venetiæ, Ancona, Smyrna, Cairus, Alexandria, & in Archipelago pleræque &c. Hæc licet vera sint omnia, tamen non adeo verenda & ideo salubritas tractus quem alluit nedum totius Silesiæ suspecta reddenda est. Siquidem hic fluvius & in mediocritate subsistit & per tractum Trachenbergensem & Wolavienſem duntaxat decurrit; hoc enim egresso Odera accipitur. Atque longius quidam quandoque sediffundit, sed rigat tantum prata ac agros ac non ibi squalores ut alibi accidit, deponit, sed refluxis aquis solum rigatum quidem sed purum iterum conspicitur. Ad hoc, venti septentrionales, quibus ad hæc loca liber aditus patet, sicci & frigidi noxam, si quædam etiam adest, corrigunt commode, hinc legimus, quod ob hanc causam Vitruvius Lib. I. Cap. IV. paludes circa Atinam, Ravennam & Aquilegiam minime metuat, neque Oribasius S. Coll. c. 3. Ægyptiacas ideo damnat. Asserit ad hoc ac in hujus ulteriorem propationem Cœlius Rhodiginus Lib. 20. c. 18. in Lesbo Insſ. ægrotantes ex tussi maxime, austro coroque flantibus, superveniente Borea convalescere citius. Quippe hi venti accedentes humiditates exsiccant omnes, ex quarum exsiccatione quoque dein lenis exoritur ventus, (quoniam ubi aquarum copia est, ibi ventorum patria) & per hunc aeris ventilatio, aeris salubritati inserviens, efficitur. Lacus in Silesia ita sunt comparati, ut circulationem quandam subterraneam habeant, ut de binis istis in Lignicensi diœcesi constat, vel ut fluvios eos percurrant, quales sunt in Schwibusienſi, Wolavienſi circulo &c. Quoniam sic undæ moventur, non possunt esse aeris salubritati adversæ, nec tanti ipsi etiam sunt, ut tantum noxam alioquin possent afferre.

§. XIII. Huc etiam spectant aquæ, acidulæ, Thermæ & fontes salutares, vi sua medicata ad medicinam facientes. Horum

quam

quam plurimi in Silesia reperiuntur. Alii celebritatem jam dudum acquisiverunt, alii forte hodie ideo saltem ignobiliores, quod nondum satis cogniti sint atque perspecti; alii dein olim laudatissimi hodie ab antiqua iterum recesserunt gloria, an per injurias temporum, an hominum incuriam an virium deperditionem, incertum. Ex fontibus salutaribus adhuc noti sunt imprimis fons Regius prope Boleslaviam ad Boberum & a celebr. Opitio lib. 4. Sylv. carmine celebratus. Hermsdorffensis prope Goldbergam & ad Frankensteinam ille, olim famigeratissimus, hodie vero minus frequentatus, sulphur & alumen imprimis vehens. In Duc. Nissensi alium, A. Calagius celebris Silesiæ Poëta epigram. lib. 5. descripsit. Adeatur de hoc Silesiog. renov. N. Henelii P. I. cap. 5. pag. 598. seq. Salsula dicta ab arce Furstenstein vix horulæ itinere sejuncta pariter mire laudatur in Ventriculi & Intestinorum imbecillitatibus ex tono destructo & laxitate enatis, in malo hypochondriaco, calculo, ventris doloribus, hydrope, phthisi & hectica, cachexia, scorbuto &c. Hodie perfrequentis usus est fons ille salutaris Lignicensis in multis ægritudinibus apprime proficuus. In Ducatu Jaurovienſi in pago Sendorff ad radices montium sudetorum videndus fons (der Kirch-Brunn) in suffusione oculorum illorumque hebetudine, colica scorbutica flatulenta aliisque ægritudinibus huc usque comprobatur. Prope Hirschbergam in Pago Straubitz, quidam fons reperitur (der Schwefel-Brunnen) ob odorem sulphureum, quem refert, ita vocatus, aqua ejus gratissima adpotum est, & laudatur ab Incolis atque a Medicis, probatur imprimis in febribus tertianis continuis, ardentibus, viscerum infarctu, doloribus nephriticis curandis, præcavendis, & in pluribus forte corporis vitiis avertendis, dignusque, qui ad majorem usum perducatur. Alius quoque hic fons ad radicem montis quem den Hausberg vocant ad Boberum Zakelumq; confluentes, datur, Quekensi Boleslavienſi illi modo laudato non inferior, cujus aquæ produnt omnes bonitatis & salubritatis notas ac dotes, quondam celebratissimus fuit adeo ut miraculosus dictus fuerit, siquidem & hodie ab incolis corrupte der Mörkel-Brunn, loco Miracul-Brunn nominatur. Nec obliviscendus est alius salubris in vicinia fons, sed

omni laude commemorandus qui in ditione Seiffersdorffiana ſcaturit, atque alius prope pagum Kuntzendorff circa Fridebergam qui ſingulari frigiditate ſe commendat & ambo aquam per quam puram, pellucidam ſapore, admodum grato & dulci præditam vehunt. Ad Sileſiæ fontes ſalutares hodie adhuc, ut quondam Fons St. Johannis intra ipſos ſudetos Mont, in confinibus annumeratur, arthriticorum, calculoſorum, aſthmaticorum, paralyticorum convulſionibus, luxationibus & omnibus pene frigidis morbis laborantium refugium ac ſolatium. Acidularum plures ſunt, ut illæ in Ducatu Carnovienſi, Gurenſes in Jaurovienſi, Tanhauſenſes & Reichenovienſes; in Svidnicenſi, celeberrimæ vero omnium ſunt, quæ in pago, cui nomen inditum eſt Altwaſſer, ſcaturiunt. In Comitatu Glacenſi, qui Sileſiæ quoque quondam pars fuit, vid. Joh. Dubravius rerum bojemicarum Scriptor. lib. VIII. ut & Goldaſt. de Jure Bohemiæ lib. I. c. 15. plures adhuc reperiuntur, inter quos tamen primatum fere obtinent & quæ peregre transferuntur, Saltzburnienſes, Reichenavienſes, Oberlanginavienſesque.

§. XIV. Nec deſunt Sileſiis calidarum ſalutarium ſcaturigines, quas etiam Summus & Benigniſſimus Creator DEus Ter. Opt. M. ultro gratisque ad Hominum ſanitatem cuſtodiendam reſtituendamque dedit. Thermæ Hirſchbergenſes ſunt longe lateque celebratiſſimæ, eo nomine inſignes, binis ſeparatis ſcaturiginibus ſcaturientes quarum altera ad Illuſtriſſ. Excellentiſſ. Dn. Comitem de Schaffgotſch &c. alter ad Cœnobium pertinet. Has Præſes in peculiari Diſſert. expoſuit. Vulgo Thermæ Landekcenſes Sileſiæ adhuc adſcribuntur, calore tamen Hirſchbergenſibus longe inferiores, adeo ut dubitet Balbinus in Miſc. Hiſt. Boh. Lib. I. cap. 24. an Thermæ jure vocari poſſint. Vis ſiccandi, extenuandi, abſtergendi, roborandi iis tribuitur, & in ſpasmodicis, convulſivis affectibus, contracturis, arthritide, viſus debilitate, oculorum diuturnis pertinaciſſimisque doloribus, ventriculi, Inteſtinorum, renum & veſicæ vitiis & imprimis mulierum ſterilitate commendantur. Plura de harum virtutibus apud D. A. Fr, Kremerum in peculiari Tract. & Celeberr. Vratislav. Collegas Acad. N. Cur. Leopoldino-Carolinæ in Hiſt.

Morb.

Morb, Vratisl. An. 99. p. 33. seqq. possunt videri. Ejusmodi sine dubio plures fontes soterii reperiri possent, si curiosi scrutatores diligenter suam collocarent operam; orandi igitur atque hortandi sunt omnes Ingenui, ingenio, doctrina arteque præstantes Silesii, quorum magnum numerum Silesia genuit, ac alit, ut Patriæ ejusmodi dotes salutares ex dignitate ulterius investigent, promoveant, amplient.

§. XV. Hæ primariæ causæ salubritatis sunt, quas modo recensuimus aer nim. & aqua. Nam si rem, ut par est momentis suis ponderamus, duo hæc sunt, quæ motus vitales in corpore nostro, in quibus vita & sanitas atque actionum omnium integritas versatur, efficiunt, conservant atq; tuentur, quippe vitæ & sanitatis fundamentum in eo positum est, & cardo totius vertitur, ut tam spirituum animalium natura, crasis, motusque conveniens sit, quam ut omnis generis humores in corpore nostro non interrupto impeditoque motu itu, transitu redituque per debita expeditaque vasa circulentur, adeo ut arctissimum vinculum intercedat utrisque, his salvis, his integris vita ac sanitas integerrime quoque se habent manentque, his læsis ambæ mox quoque læduntur. Ex omnibus autem iis, quæ spirituum generationi, conservationi, impulsioni & sanguinis atque humorum circulo perenni extrinsecus inserviunt, adeoque sanitatem præstant ipso aere aquaque nihil datur præstantius nihilque magis est est necessarium. Aeris accessu ne per momentum quidem carere possumus, hic proximum spirituum est elementum. Aqua sanguini, omniumque corporis H. liquorum laudabilium fluxilitatem ad vitalem motum adeo necessarium concedit &c.

§. XVI. Proxima terræ Silesiacæ consideratio. Hæc rursus ad salubritatem simul conferendam aptissime se habet, nam neque generatim laquendo humidior justo neque aridior, siccior, steriliorque &c. deprehenditur, utilissime in commune commodum, optime mixta, ac temperata. Mite sat alendis proficuis frugibus solum est, & amica hinc arvis Silesiis Ceres, nec tamen tota nimis pinguis est atque viscida, quæ salubritati posset obesse, quoniam ut apud Medicos in Confesso est, ejusmodi ob lenta, crassaque effluvia, que aeri semper immitit, non pot-

est

est esse satis salubris. Exemplo Sardinia Inf. sit, dequa notissimum est, eam fertilissimam esse, sed & insaluberrimam, quare Cicero, a quo romana eloquentia existit, Q. fratrem monet notanter, ut diligentissime valetudinem curet, licet optima utatur, cogitet tamen se in Sardinia esse, atque hinc quoque quendam Sardoum Tigell. hominem patria sua pestilentiorem in epistolis nominat: Taceamus quod hæc ipsa ejusmodi licet fertilissima tellus proferat vegetabilia alimentosa & fruges non adeo salubres & sæpius frumentacea etesculenta venenata ut lolia temulenta & fungos deleterios &c. atque rorem vermiculosum &c. Vel in vulgus notum est, frumenta v. gr. quæ in agris & collibus siccis qui non rari hinc inde in Silesia sunt, succrescunt, rarius a vermibus corrodi, rariusque situm contrahere atque, corrumpi, atque liquores exinde paratos rarius acescre pollinem & tandem panem quoque longe subtiliorem, tenuiorem, leviorem adeoque salubriorem concedere iis, quæ in agris humidioribus, limosis, viscosis subnascuntur. Exinde quoque colligitur Silesiacam terram, quia bene temperata, frumentorum quoque salubritatem in cibis tandem adhibitorum afferre hominibus. Nec inanis hæc saltem est conjectura, sed fidem experientia implet, siquidem per totam fere Silesiam bonus, palato gratus, levis, rarus bene nutriens paratur panis. Nemini Silesiorum & vicinorum facile præ aliis ignotæ sunt, Landshutensium & Vratislaviensium similæ adeo celebratæ & panis sic dictus bis coctus & Schwidnicensium ac Hirschbergensium panes & varii generis placenta. Nec in postremis est, quod Silesii ubique fere locorum pollinem parare soliti sint molis aquaticis, quæ pneumaticis, tenuium & æqualium magis partium, farinam & talem quoque dein panem concedentem, adeoque salubriorem, conficiunt. Ex frugum generibus illud adhuc nominandum, quod Silesiæ fere peculiare est, Schwaden dictum, graminis mannæ semen. hoc enim milio, oryza longe facilioris digestionis bonæque nutritionis est, ut enim subtilitate ita & salubritate illam antecedit, id eo non sanis solum sed & ægrotis & valetudinariis prousu familiari & cibo commendandum.

§. XVII. Amplius dicentum est terram Silesiacam arboribus atque

atque fruticibus, plantis, herbis, ac floribus aromaticis, resinosis, balsamicis, bona effluvia spirantibus adeoque valde salutaribus salubritatem aëri quoque addentibus & quæ ad valetudinem tuendam quovis modo adhibita admodum proficua sunt, feraciſſimam esse atque luxuriare. Latus campus hic panditur de illis verba faciendi, quæ ambrosios ut ajunt spargunt adores & tam salubria in aerem effluvia mittunt, quam quæ ad salubritatem inter alimenta & medicamenta adhibita hominibus symbolum suum conferre possunt, Sed quoniam tractatum, nec mediocrem de his conscribere quis posset, plura non addamus, & B. L. ad Schwenkfeldii librium, quem de vegetabilibus Silesiæ conscripsit, remittamus. Hic saltem abietes, fagos, betulas, pinos, quæ totæ antiscorbuticæ, quæ arbores cæduis sylvis exoriuntur, quarumque eximia & perennis viriditas est resinosa & balsamica vis, ut nec bruma sæviente eæ algeant, arescant & deleantur, & pauca in Medicina vegetabilia angelicam gentianam, serpentariam, carlinam, serpillum, acorum, calamum aromaticum ac bina ista quarum alterum agris Silesiacis opimis Vratislavienſibus præsertim, alterum montibus sudet: quasi propria sunt, bulbum nempe majalem & rubiam tinctorum, quibus Silesia abundat, nominare vellemus, confecta res esset satis. De arboribus adhuc in Silesia frequentibus betulis & pinis his oris notandum venit, illas vernali interdum tempore pulverem citrinum non inutilem ac bonum fumare ut pluviæ mixtus pluviam sulphuream referat, aut terra subtili lutea pluisse videatur, dequo alias etiam videndus Crugner im chymischen Tannenbaum; talem pluviam & in aliis locis obſervaverunt alii, exemplum vide apud Agricolam lib. V. de ortu subter. p. 552. Seorsim dicendum in sylvis Nissenſis Ducatus comam subtilem rubellam saxis & lapidibus adhærere moschi odorem referentem, quæ a nonnullis speciatim pro arcano in calculo vesicæ habetur. Ejusmodi quoque lapides odoriferi violarum svaveolentium spirantes odorem, in Ducatibus Jaurovienſ. & Svidnicenſ. montosis in locis præsertim in montibus riphæis & circa arcem Kinast ipsas thermas Hirschbergenses spectantem magna in copia inveniuntur. Interim addendum adhuc

convenit, simul, herbas plantasque salubres ex humo salubri crescentes & pascua & pabula salubria pecudum domesticarum & agrestium, ferarum ut & altilium, nec non reptilium, limacum &c. carnes salubres quoque concedere, quæ in cibis deinceps sapidas escas & salubre nutrimentum præbent; æque ac frumenta fructus, plantæ, herbæ & olera salubri in solo crescentia & pisces in aquis capti salubribus, quæ omnia jam apud Medicos sunt in confesso, adeo ut jam non necesse habeamus longius petere hujus rei probationem. Unicum duntaxat testimonium addamus, quod de vervecibus Galliæ Narbonnensis Quercetan. Diæt. Polyh. S. III. c. 4. p. 430. refert: Hos in sterilibus atque thymi tantum serpilli & id genus odoriferarum herbarum feracibus pascuis educatos, carnes sapidissimas & saluberrimas atque lanas etiam pro conficiendis vestimentis optimas præbere, quod & in Silesiam nostram, quadrat apprime, siquidem & lana Silesiaca tenuis & præstantissima est. Hic quoque mentio licet brevis facienda est fossilium, & quæ ex terra oriuntur, huic titulo adscribenda veniunt. Terras sigillatas si nominaverimus Silesiacas adversus varios morbos in foro medico usitatissimas satis jam erit, inter quas & celebratissimæ notissimæ sunt terræ sigill. Strigenses a Joh. Montano celeberrimo Medico primum inventæ atque descriptæ & a Sennerto terræ lemniæ & melitensi prælatæ, quippe copiosam subtilem oleaginositatem in se continent pro acrimonia & spiculis salinis morbificis malignis venenatis infringendis, & in affectibus cordis, febrilibus, malignis, dysenteria, diarrhæa, morsibus animalium venenatis, peste &c. apprime utilem. Post has Lignicenses, Goldbergenses, Schwidnicenses, Jaurovienses, Jenewizenses, Seichavienses, Brechelwizenses, Hasalienses, Kupferbergenses, Reichenavienses, Maslovienses noviſſime inventæ &c. laudandæ.

§. XVIII. Nec intermittamus de cerevisiis Silesiacis dicere atque innuere, iis non solum gustui gratis, sed & sanitati admodum conducibilibus non adeo crassis, viscidis, nec sulphureis, vaporosis, ferocibus & temulentis caputque gravantibus Silesiam abundare, cum ex levioribus & purioribus aquis, bonis

nis frugibus, & in laudabili aere a quibus gratiam & salubritatem recipiunt decoquantur, nec lupulo nimis saturentur, quæ & subtili gratoque acore linquam titillant & digestionem, diluitionem & distributionem alimentorum & nutritionem maxime promovent, addunt, faciliusque per vasa transeunt & excernuntur. Quædam quondam celebratissimæ fuerunt, multæ adhuc hodie ideo maximo in pretio habentur. Omnium primaria hoc nomine adhuc fere hodie est strigaviensis, sequuntur Vratislavienses, Schœps (de qua Celeb. D. Heinricus Muhlpfortius integrum tractatum conscripsit) & Lämmel dictæ Lignicensis triticea, boni nutrimenti, Golbergensis & Haynoviensis quæ singulari levitate & diuretica virtute se commendat, caput nullo modo gravat, & quæ alias longinq; ideo est transvecta. Proximæ his sunt multæ aliæ in Ducatu Jauroviens. boleslaviensis, quæ ex famigeratissimo fonte Quekensi paratur, & ideo in panegrico Silesiæ Pancratio Vulturino Patavii olim edito celebrata, & girsdorffensis, boberersdorffensis, spillerensis, voigtdorffensis, seiffersdorffensis, svidnicenses & steinaviensis, olim alias adeo decantatæ. In Ducatu bregensi bregensis & præsertim Arcis dicta, schwanizensis, ketzendorffensis jam karolimarckensis, mankschuzensis, in Ducatu Teschinensi adeo decantata & a vicinis Hungaris præsertim quæsita Maznoz vocata ac Oppaviensis, quæ primo loco nominanda fuisset, martiana dicta, cujus tanta commendatio est, ut referente Hagecio sæpius tam præstantissimi medicamenti, quam boni alimenti expleat vicem, ut plures alias sileamus, laudandæ sunt. Hoc quoque scire licet, Silesios quantum mihi equidem notum est, pollentam ex qua dein cervisiam decoquunt, ut plurimum & sæpius igne torrere quod optimum est, rarius aere, quod minus laudabile; cervisia enim ejusmodi expollenta aere torrefacta parata crudior est & obstructiones &c. nauseam potissimum gignit. Ad cervisias magis accedit potus multis Silesiæ oris haud infrequens ex branca ursina paratus proficuus ac bonus, quem Silesii a Polonis ac Litthuanis acceperunt. Grunbergensia vina, Crosnensia, Guravienſia, Bethanienſia, Carlatensiaque &c. ut & Winzigensia, Parchwizienſia quamvis hæc bonitate illis inferiores censeantur, licet palato

equidem ob acerbitatem non arideant & venalia ideo opus habeant ſuſpenſa hedera; tamen cum contra arthritidem, podagram, calculum ſcorbutumque &c. commendentur ſanitati non æque ſunt adverſa. Nam in vinorum delectu, medico reſpectu, non tam regionis, neque grati palato ſaporis ratio eſt habenda; ſic v. gr. vinum omne in deliciis alias habitum, ſive ſit Hungaricum, ſive Rhenanum, Moſellanum &c. ſive etiam infimæ claſſis nomines & quod a delicatis reſpuitur, quod in locis peraltis, ſaxoſis, aſperis, ſalebroſis, aridiſſimis creſcit, ſanitatis conſervatione, podagræ calculique (communium pediſſequorum &c. præſervatione longe præfertur eo, quod in locis pingvibus, lutoſis, terreſtribus magis & a flumibus remotis ſubnaſcitur. Ideo vinum auſtriacum quoniam per multis in locis in planis agris ac in viſcido ſolo ad inſtar frumenti creſcit non poteſt eſſe ſalubre, ſed arthritidem fixam, calculum, obſtructiones viſcerum internas cauſatur, illud vero quod in montibus præaltis & aridis proxime ad Danubium ſitis profertur ut Nusdorffenſe &c. bonum & ſalubre eſt. In Hiſpania circa Madritum & in Andaluſia vinum quod creſcit, minus dulce eſt atque auſterum, ſaluberrimum tamen præ aliis omnibus vinis Hiſpanicis, dulcibus, habetur. Sic notum vinum Jenenſe ob hanc rationem ſapori æque ac Sileſiacum minus gratum, peregre transfertur etiam ad illa loca, quibus Rhenanum atque Franconicum uberrime affluit, ubi contra podagram & calculum, quos a dictis metuunt, loco remedii bibunt, de quibus teſtatur celeberr. Shelhammerus de natura p. 229. quod nimirum vina Jenenſia recentia cruda ſint, vetuſtiora vero calidiſſima & craſſa, tartaroque ditiſſima, quod autem arthritidem non producant, ut nemo unquam indigenarum & qui a peregrinis abſtinet ea laborans oſtendi potuerit, & quondam jam Gregorius Groitſchius in Salæ fluvii deſcriptione. Vina ſalica præſertim Jenenſia nobilia & præcipua laude digna cenſuit. Quippe ejusmodi licet crudiora tamen tenuiora ſubtiliora aquaſiora ſunt atque plus ſalis minus olei & ſulphuris minusque viſciditatis ut quidem vina ſect, frontiniac & multa ex hungaricis & educibilem quamvis uberiorem præ aliis longe continent tartarum, qui pro varie-

tate

tate vinorum se varie habet omnis & vel ad lapidis vel luti vel calcis naturam accedit. Tartarus vero vinorum Silesiacorum non adeo est spirituosus ac aliorum sed crassior magis qui in prima & secunda digestione facile separatur, per alvum & urinam secedit simulque alias materias crassas secum excernit, hinc magis diluunt, sitim sedant, abstergunt, humores pituitosos & biliosos temperant, tollunt ac ejiciunt promte, & per angustissimos canaliculos citius faciliusque transeunt, somnum placidum procurant &c. nihilque crassi, heterogenei multorum magnorumque morborum rudimenta ac incrementa in corpore post se relinquunt. Vina enim quæ continent plures partes phlegmaticas & tartareas, acidulas, virtute laxante & diuretica pollent, quæ vero plures oleosas sulphureas possident forti odore & sapore imbuta non tam facile per corpus transeunt sed diutius manent, sangvinem augent & plethoram ingenerant corpusque ex agitant atque exsiccant. Atque morbi tartarei ut podagra & calculus ex emunctoriorum obstructione proveniunt & viscositatem ac densitatem pro fundamento agnoscunt, arthritis etim plerumque a ventriculi debilitate, spirituascentiæ sanguinis defectu, circulo segniori ortum suum ducit, vinum autem tale dilutum magis per renes morbificam materiam educit ventriculi quoq; vitia emendat, quare qui ejusmodi vina bibunt, non colligunt in stomacho & intestinis massaque sanguinea ejusmodi. Adhoc vina talia austera & acida corroborant stomachum laxum, minus officiunt cerebro, ut quidem dulcia, hispanica &c. adstringunt & minus calidos inebriantes & temulentos fumos exhalant. Talia etiam sunt vina in Misnia Jessensia & Gombergensia in pura arena nascentia, Bensheimensia & auerbacensia in strada montana &c. Veteribus ejusmodi vina jam erant maxime commendata & oligophora dicebantur. Ipse Hippocrates de rat. victus in acutis præfert ejusmodi vina & dulcia damnat, quod hæc tumores hepatis & lienis augeant & sangvine copioso ac crasso partes has infarciat. Experientiam de nostris vinis Silesiacis (si apud te valeat) allegat Colerus in Oecon. rurali & domest. lib. 2. cap. 139. Alia adhuc sc. experientia mihi jam occurrit, quam quidam celebris his oris Practicus mihi tran-

ſcripſit, quod vinum Croſnenſe in ſpecie in cordis palpitatione mira præſtet, quæ virtus alias moſellanis maxime attribuitur. Laudatio noſtrorum vinorum inſuper quoque exſtat apud celebr. C. B. Behrens in ſelect. diætet. p 365. §. 32.

§. XIX. Addendum & commode convenit cibis veſci Sileſios in univerſum utplurimum ſalubribus, pecudum & avium ſylveſtrium, montanarum, campeſtrium & domeſticarum, imprimis turdorum, alaudarum, perdicum, attaginum, caponum, pullorum gallinaceorum, gallopavonum, leporum, & piſcium ſaxatilium, truttarum, apuarum, (Gründlinge) percarum, mullorum, thymallorum, gobiorum fluviatiliorum, aſchiorum, luciorum, præſertim cancrorum &c. carnibus, & qui aliis præferuntur, ſiquidem Sileſia alit ejusmodi ſat magna in quantitate, & quæ forte deſunt, ipſi ex vicina Bohemia atque Polonia importantur. Aves paluſtres ut anates atque anſeres magis reſpuuntur in Sileſia. Carnes imprimis agninæ, vervecinæ, & bovinæ & vitulinæ recentes ſapidæ ibi ſunt & laudatiſſimæ, & frequenti in uſu ſunt ut & hædorum caſtratorum & caprarum juniorum carnes ſal tam volatile quam fixum augentes, unde vigor ac vivacitas. Inter hæc eſculentorum genera farcimina, lucanicæ Schwidnicenſes & Jaurovienſes, quia palato admodum gratæ maxime laudantur. Suilla caro, quam Hipocrates de rat. vict. in acutis S. IV. optimam & præſtantiſſimam dixit, plebis & opificum menſæ familiarior. In ſpecie dicendum eſt, quod verveces in parte præſertim Sileſiæ cis Oderam educati & enutriti, multo in pretio ſint, adeo ut etiam multæ greges eorum in vicinam Saxoniam educantur, ſiquidem non modo ſapidiores eorum carnes ſunt, ſed & ipſi majores, ſaniores & longæviores, nam oves noſtræ Saxonicæ, miſnicæ, quæ utplurimum in paſcuis & agris planis, declivibus & humidis aluntur, ſæpius ægrotant, & vel duorum annorum ſpatio moriuntur. Nec deſunt alia, quæ in victum frequentem Sileſiis veniunt bonitatis ac ſalubritatis nota prædita obſonia, olera fructus, endivia, braſſica rubra (qua loco medicinæ populus Romanus DC. annus uſus eſt, teſte Plinio Lib. X. c. 9.) ut & naſturtium paluſtre, chærefolium, cichorium, ſiſara, rapæ recentes ac ſiccatæ, raphanus major minorque, petroſelinum

num ejusque radices, quæ salubria vegetabilia partim pituitosam, crassam materiam resolvunt, partim humectant, lubricant, expectorant, diaphoresin, alvum & vesicam stimulant, partimque aperiunt atque alio modo egregie prosunt &c. In Silesiæ montosis in locis Svidnicensis Jaurovienſisque tractus casei parantur caprini, mollium, subtilium rariorumque partium & delicatissimi, quos Joh. Langius laudavit eosque imprimis pro secretione lotii aptissimos censuit. De caseo notum apud eruditos alias ex Plinio est N. H. lib. XI. c. 42. Zoroastrem in deserto per annos 20. caseo saltem vixisse, ita ut senectutem non sentiret. Ut insignes in Silesia cibi, ita & eos præparant Silesii, ut sanitati bene sint accommodati: modicis quippe aromatibus, imprimis zingibere, croco, nuce moschata, salvia, majorana, laurifoliis & baccis, roremarino, aniso, fœniculo, allio, baccis juniperi, non equidem pipere nimio aliisque nimium irritantibus, ut Poloni vicini, saleque recte condiunt eos, quantum nimirum dissolutioni, digestioni, & distributioni alimentorum, exclusioni recrementorum, flatuum discussioni, & conservationi a corruptione, sanguinis generationi & dissolutioni, spirituumque animalium secretioni sufficit. Inter cibos etiam amant imprimis saccharum, mel atque butyrum recens, & lacticinia, passulas majores & minores, amygdalos, limonia condita, cappares, quæ sanitati proficua obsonia sunt, siquidem mel potenter viscidum resolvit, putredinem arcet, nutrit, temperat, laxat alvum, urinam prolicit, excretionesque omnes stimulat, longævos facit. Fertur solo mellis odore Democritum Philosophum per dies aliquot produxisse vitam. Atque Plinius narrat lib. VIII. c. 45. & lib. VI. c. 28. & 30. gentes solo lacte viventes sanos longævosque esse, Cardanus pariter de subtil. lib. 9. de animal. pag. 656. vitam longam lac facere perhibet Galenus Lib. V. de sanit. tuend. c. 7. mentionem facit viri cujusdam, qui ultra centum annos vixit solo lacte nutritus. Lactis commendationem quoque colligimus ex Tacito, Justino, Cæsare, Salustio. Helveti atque Belgæ lac in deliciis habentes idem loquuntur, qui sani, vegeti ac corporis proceritate & robore præditi conspiciuntur. Butyrum pariter recens cum pane sumtum bene nutrit, aci-

dum

dum & acre in primis viis egregie temperat, anxietates præcordiorum, vertiginem, capitis dolores, virium exſolutiones avertit & præcavet, morboſa aeris effluvia deſtruit, & multum ideo in conſtitutione aeris epidemia multum valet. Inter potuum genera hic juxta cereviſiam, quam frequentius roremarino, caryophyllis aromaticis, cinnamomo, cort. citri & ſimilibus condiunt, hungaricum vinum bonæ notæ hydromel &c. & inferioris conditionis hominibus juxta aquam bonam, cereviſia ſecundaria, ſerum lactis caprinum, vinum aduſtum juniperinum maxime &c. ſanitati ſat conducibiles potus frequentiſſimo in uſu ſunt. Amant & præ aliis cibos aſſatos & paululum duriores, qui ventriculum firmant, & habitui corporis robur addunt. Aſſata enim præſertim præter robur, quod ventriculo addunt, melius molleſcant, & digeſtione ſolvuntur, levioremque licet parciorem materiam præbent; vim elixorum vero in juſculum maximam partem abire, jam Galenus de alim. facult. obſervavit, unde juſcula nutritiva, carnes vero concoctæ non ita faciles fiunt, oleoſum enim principium aſſatione ſui juris fit, ex admixtarum partium vinculis evolutum & igne exaltatum. Ex reliquis eſculentorum generibus uſitatiſſima ſunt ex tritico non excorticato & juſcula furfuracea, quæ ideo præſertim laudanda, quia tunicam inteſtinorum villoſam egregie abſtergunt. A ſalſamentis, oleribus ſimilibusque prandium incipiunt, (quod Celſus voluit lib. I. c. 3.) & carnibus cibisque aliis paulo durioribus incipiunt, juſcula ſequuntur. Potionibus inſuper frigidis magis quam calidis ſunt adſueti, nec ita male quidem, quippe calidi potus glutinoſiores nutribiles partes nimium attenuant, fluidiores & tenuiores reddunt; frigidi vero bilioſas cruditates deſtruunt, condenſant colliguntque laudabiles partes. Cœterum in victu magis ſimplicitati ſtudent. In cœteris deniq; diætæ partibus laudabilem quoque conſuetudinem ſervant; ſic v. gr. balnea calida & frigida & corporis exercitationes, per modicos labores, ambulationes, quandoque honeſtas ſaltationes, breviaque recreationis gratia itinera ſuſcipiunt, quibus ad ſanitatem conſervandam, valetudinem recuperandam & longævitatem efficiendam nihil magis neceſſarium nihilque magis utile eſt. Frequen-

quenter quoque in ædificiis & conclavibus ſuis ſuffumigia ex baccis & ligno juniperi inſtituunt. &c.

§. XX. Si ulterius cauſas ſalubritatis particulares magis ſcrutari vellemus, aliæ plures nobis ejusmodi præſto eſſent. Sic v. gr. non in poſtremis eſt, quod multis in locis, oppidis Ducatuum Jaurovienſis & Swidnicenſis, imprimis Hirſchbergæ, Landshutæ, Schmidebergæ, Greiffenbergæ, &c. & circumjacentibus pagis, pro linteaminibus candefaciendis, quibus neceſſitas pariter ac utilitas, his oris, exterorum non veteris modo, ſed & novi orbis Mercatorum & ampliſſima commercia & pretium fecit, frequentes & quotidianos ignes ſtruant ex lignis abietum, pinorum, fagorum, juniperi & ſimilium, reſinoſis & balſamicis, qui non ſolum aerem purgant, ſed & ipſum ejusmodi balſamicis reſinoſis, oleoſis, ſubtilibus, ſalinis volatilibus ſpirituoſis, acidulis, quæ ſalubria ſunt, imprægnant effluviis. Per ignem enim corrigitur aeris quies, gravitas & intemperies, ut in foro medico notiſſimum eſt, ſaluberrima ea eſſe loca & tuta a morbis graſſantibus, putridis, malignis, peſte &c. manere, in quibus multi accenduntur ignes. Vix mihi tempero quin unicum ſaltem exemplum adducam: Fertur, peſtem quæ Anno 1576. in Venetos eſt multa hominum ſtrage vulgata, Inſulæ 2. Mill. Venetiis remotæ Muran. incolis peperciſſe ideo, quia omnes artem vitriariam tractaſſent & fornaces hinc quotidie inſtruxiſſent. Non ſolum etiam Jaurovienſi & Svidnicenſi, ſed in aliis, ut in Meziborienſi Diſtrictu &c. multæ fornaces quotidie ſuccenduntur ab iis, qui vitra conficiunt. Alibi & Brontes, Steropesque, vulcanios in ferrariis officinis, quæ atmoſphæram ab omni contagio tutam ſemper tueri dicuntur, ut Girsdorffii, Schmidebergæ, in Saganenſi, Meziborienſi &c. ditione tractant labores. Ne alios hinc inde longius ignivomos caminos memoremus, ad quos pertinent etiam in Ducatu Glogovienſi in loco Neuſalz inde dicto, & in Oelsnenſi in pago Oſſen &c. ſalis coctura &c. In Jaurovienſi & Svidnicenſi multis in locis, Kauffungæ, Seidendorffii, Rursdorffii, Lauterbachii, Kammerswaldæ, Apendorffii &c. fornaces calcariæ multæ habentur, in quibus calx ex ſaxis calcariis fortiſſimo igne paratur &c.

§. XXI. Hoc quoque ſalubritatis momentum adducamus, quod ab ipſarum urbium, oppidorum & ædificiorum & conclavium habitudine, diſpoſitione & conſtructione deſumitur. Licet oppidorum Sileſiæ domus magna ex parte ligneæ ſint, eæ tamen firmos craſſosque parietes habent, qui contra aëris quasvis injurias, inhabitantes ſatis tutos præſtant atque immunes, quæ ædium conditio loco notabilis præſidii eſt, hinc Cartaginenſes, ut ſe contra aëris ventorum, imbrium & maris halituum inclementiam magis munirent, parietes pice obducebant. Multæ etiam lapideæ ſunt, quæ optima quidem domorum conditio eſt: Siquidem civitatum majorum ædificia ex lapidibus tota fere exſtructa ſunt, & concamerationes non raræ. Quoniam lapides in Sileſia hinc inde maximè montoſis in tractibus magna copia eruuntur. Sunt quoque in univerſum propemodum ædes privatæ Sileſiacæ, ſpatioſæ & amplæ in longum latumque patentes, quorum faſtigia recta inſurgunt, neque tecta prominent, ſic aërem neque ſuperiori, neque inferiori parte concludunt, ſed libere transmittunt. Sicque etiam in iis conclavia ac cubicula eundem in modum ſunt comparata, ampla nimirum ſpatioſa & alta majoribusque feneſtris ornata. Plateæ in civitatibus bene ſunt ordinatæ utplurimum & latæ, ut aëre ventisque debite perflari & effluvia heterogenea, quæ quotidie affluunt ventilari atque ejici poſſint, frequenterque per eas interfluunt rivi ſordes & excrementa eluentes ſecumque abripientes. Hoc nomine præ omnibus aliis celebres, Sileſiæ Caput Vratiſlavia & Niſſa Schwidniciumque ſunt, quæque hac gloria urbi Panormitanæ, Lutetiæ Pariſiorum aut Lintzio Auſtriæ vix ceſſerint, quæ omnia ad ſalubritatem civitatum faciunt multum. Confer. Diſſert. Præſid. de Aëre Lipſienſi §. 6. Inſuper Sileſii munditiei inhabitationibus ſuis atque plateis ſtudent, ut ſordes frequenter ejiciantur atque decenter, ob quarum fœtorem putredinoſum multi putridi morbi atque peſtilentes non raro ſunt exorti. Exempla petantur v. gr. de Vienna Auſtriæ a Gerbezio in Chronol. Med. p. 125. De Lutetia Pariſiorum & Toluſa Gallor. Dimerbrokio de peſte p. 154. Palmario in epiſt. & præfat. in Libr. de febr. peſtil. de Conſtan-

ſtantinopoli ab Heberer Lib. 2. Servit. Ægypt. c. 48, p. 303. Hinc hac in re veteres Romani cautiſſimi erant, refert enim Halicarnas: apud eos conſtitutos fuiſſe Ædiles Plebis, quorum officium fuit, ut munditiei urbis proſpicerent atque curarent, ne aëri per vias publicas, cloacas, aquæ ductus, qui adeo ſumtuoſiſſimi erant, immundities quædam accederet, quam legem ſalutarem etiam Jure Conſulti adhuc retinent atque injungunt, vid. Gloſſ. in l, 21. §. 1. ff. Stryk. de Jure ſenſ. D. 5. c. 2. n. 32. &c. Hinc hunc laudabilem morem ut ſervent a Magiſtratibus utpl. publicis legibus cautum eſt, ne impuritates in vias publicas ejiciantur, quam legem diligentiſſime imprimis Bregenſes obſervant, vid. Topographiam allegatam Sileſiæ p. 136. Ad hoc commodum facit diſpoſitio pagorum in Sileſia, qui diſperſas hinc inde domus habent, ad quas fumi ex fimi cumulis & pecudum ſtabulis &c. in vicinia congeſtis non attingunt &c.

§. XXII. Neque deſunt multæ ſalubritatis in Sileſia notæ ex quibus a poſteriori magis eam, humores bene ſolutos, dilutos, temperatos, bene mixtos partes ſolidas laudabiliter ſe habentes, cognoſcere poſſumus. Nam fruuntur Sileſii, ut plurimum bona conſtantique ſanitate. Sunt vegeti, proceri, alacres ac perveniunt ad ſummam virentem vegetamque ſenectutem Neſtoreosque annos; Conf. Fr. Lucæ chronic. Sileſ. p. 2139. nam ut eleganter Hippocrates dixit Lib. de flat. mortalibus vitæ ægrotis vero morborum potiſſimum aër eſt autor. Inter longævos Sileſios præſertim eminet nobilitate ac virtute Clariſſimus G. de Zedlitz, qui 108. annos feliciſſime attigit, atque Familia Kretſchmeriana Hirſchberga oriunda ac florentiſſima, ex qua Pancratius Kretſchmar 78. ejus Pater Jacobus Kretſchmar 90. avus ultra 100. proavus 120. annos vegeti ac ſani attigerunt. Inter horum exempla quoque notabile quoddam occurrit de ruſtico quodam in pago Rothe prope Oelsnam cui cum annum 64. ageret cani defluxerunt & capilli ſublutei iterum & anno 78. ſuæ ætatis dentes denuo pronati ſunt vid. Sinapii Oelsnogr. P. II. p. 414. Morbi acuti & contagioſi raro videntur in Sileſia, etſi alicubi locorum oriantur haut la-

te serpunt aut diu regnant, sed brevi iterum evanescunt. Neque adeo morbis chronicis & diuturnis pertinacibus detinentur Silesii etsi detineantur iis atque aliis potius ex prava, immoderata atque perversa victus ratione, nimioque excessu, quam ab aliis causis per se laudatissimis sunt deducendi. Præditi & sunt Silesii concinna & eleganti partium corporis compositione & habitu externo corporis optimo atque formæ bonitate naturali, venustate, robore, colore faciei, ut plurimum candido, nitido, vivido paululum rubicundo & florido, imprimis, qui montosa & alta loca incolunt (adeo ut svaviorem colorem ibi sensim acquirant alii) ut & vocis claritate, hinc Hippocrates Phasianos præ aliis gravissime loqui ob aëris crassitiem & aquas palustres dixit. Gaudent etiam Silesii laudabili corporis temperamento sive particularum sanguinis illa varietate, temperatione & motione, quæ incolatus regionum sive aëris, aquæ & locorum atque juxta hæc victus rationem & conditionem sequuntur, in quo blandus sanguis abundat; in effrenos tamen motus minime pronus. Atque parum cum Clariss. Curæo ac Vratilsl. Collegis censeo abesse quin ad sanguineo cholericum si valde temperatum id existimes Silesiorum temperamentum accedat, illud scilicet, in quo sanguis subtilis & fluidus satis, pori & interiores canales & vasa, per quæ ille movetur modice, ampla reliquæque partes simili modo sat spatiosæ atq; extensæ, non nimis constrictæ, neque nimis relaxatæ sunt, adeo ut vividus, moderatus ac bene temperatus, fortis tamen magis quam lentus exinde oriatur sanguinis humorumque motus ita in specie ut juvenes illo, senes hoc magis conspicui sint. Indicium salubritatis quoque mulierum fœcunditas præsertim habetur, de qua fœminæ Silesiacæ quoque jure gloriari possunt, ut alias salubritatis regionum jam non longius adducamus notas, quæ de Silesia prædicari quoque possent

§. XXIII. De salubritate Regionum haud dubitanter suspicari licet, si non modo corpore, sed & animo valeant incolæ. Ingenium enim dependet a constitutione & dispositione corporis, quæ ordinario dependet a constitione terræ & climatis, aëris

ris, aquarum, & mores regioni respondent. Hac de re Hippocr. jam loquutus est Lib. I. de diæt a Sect. 32. perhibens aëris regimine homines sapientiores & ingeniosiores reddi & Lib. de flat. Sect. 20. §. 3 opinatur prudentiam in sanguine consistere, atque Galenus variis in locis idem demonstrat & scitissime explicat: temperamenta, quæ regionum conditionem sequuntur ad peculiares mores & inclinationes disponere, quod & eleganter satis Ovidius II. de Pont. el. 7. 15. expressit:

Temperie cœli corpus animusque juvatur.

Qualis enim aër, cibus & potus tales etiam sunt humores ac spiritus, qui ex his suam sumunt originem, ac quales hi sunt ad tales etiam mores feruntur homines. Ab insalubri aëre & victu animus quoque turbatur, aëre enim v. gr. crasso & humido consveta & debita evaporatio capitis totiusq; corporis impeditur, impuritatesque excernendæ retinentur, quæ dein cum sanguine iterum unitæ totam humorum crasin & temperamentum cerebri præsertim obnubilant atque deperdunt, ex quo spiritus crassi inertesque exsurgunt, conf. Highmorus Lib. III. anat. disquis. P. I. c. 9. p. m. 22. In palustribus, uliginosis, declivibus, planis locis degentes, corpore animoque minus præstantes; in altis, montosis, asperis siccis ex utroque valentissimi, fortes, bellicosi, acuti ingenii &c. habentur, de quo in nostra Europa, vel sola Helvetiorum Natio testatur. Videbis alios alibi multos crasso ad instar Bœotum in aere natos, inter arcadica pecora nutritos, in regione aereque thebano educatos, alios a mendaciis fallaciisque Cretensium non abhorrentes, Siculis, Sardis, Ætolis, Numidis, Chiis, Cappadocibus, Cilicibus pejores &c. unde sine dubio factum est, quod secundum illud: omnes Insulanos esse malos, Plato 4. de Lege, ut civitates 80. Stad. a mari distent, voluerit. Rursus alios alibi ex Attica Ægyptiaca, Arabica, Syriaca tellure, quæ sicca, arida, salebrosa, & saxosa, & ubi aer subtilis & aquæ leves, profectos reperies, qui purissimo tenuique cœlo fruuntur, & ex quibus alias per longas temporum series adeo multa tantaque egregia, acutissima atque felicia ingenia Heroum, Doctorum, Sapientum prodie-

runt. Noſtris adhuc temporibus ob hanc ipſam rationem in noſtra Germania Tirolis, Carinthiæ & Stiriæ ſuperioris &c. vid. Gerbezius in Chronol. med. p. 23. in Hiſpania Biſcajæ, Galliæ Provinciæ Lemovicenſis &c. incolæ ſtupidi habentur. E contrario veteres quondam communi velut conſenſu Aſiaticos facilitate morum & humanitate cæteros ideo ſuperare contendebant. Hodie plurima in noſtra Germania loca, Gallia atque Anglia præſertim hanc laudem, hanque gloriam ſibi vindicant. Hæc cum Sileſia noſtra apprime quadrant, & cœlum Sileſiacum beatiſſimus ingeniorum pater nominandus. Quemadmodum enim felici ac commodo ſitu gaudet, quod per ſeries hucuſque eſt recenſitum, ita & morum facilitate inhabitantium celebratur. Nam Sileſii, ut perſpectum eſt, probitate & jucunditate morum, ingenua & integra mente, candore, æquitate, veracitate, comitate, ſvavitate, integritate, facilitate, lenitate, urbanitate, humanitate, affabilitate, amabilitate, propenſione in omnia honeſta præditi ſunt, & pietatis, religionis cultusque divini amantiſſimi & obſervantiſſimi, adeo, ut quidam ſuperſtitionis plurimos eorum nota mallent notare. Vera bonitatis ſimplicitate, cujus vix alibi dicitur nomen, & fidei veterum Germanorum ſunt obſervantiſſimi, ſecundum verſum:

Moribus antiquis reſtat Romana Virisque.

Siquidem nuda boni viri verba multis apud eos æquiparantur, juramentis & plus plurimis ſcripturis & maximis ſigillis valent. Ingenia bona at ſiniſtra nata fortuna ſtipendiis liberalibus libenter juvant ac felicitant, quorum permulta hinc inde in exteris etiam regionibus collocata ſunt. Summis ſuis Magiſtratibus obedientiſſimi ſunt & fideliſſimi. Cæterum & vivunt libenter ſua ſorte contenti. Amant continentiam & frugalitatem ac parſimoniam, quæ magnum eſt vectigal, neque tamen avari ſunt habendi, ut quidem quidam hanc virtutem in illud vitium vertere volunt. Verecundia & pudore in vita, vultuque conſpicui ſunt, quam ob rem rurſus ſiniſtri cenſores non intactos eos moroſitate, torvitate, ruditate ac ſtupiditate falſo cenſent. Temeritatem fugiunt & res ſuas domeſticas diligenter tra-

tractant. Ingenio conjuncta industria & proba solertia valent ac ad literas & bonas artes liberales musicam & poesin præsertim Germanicam, quæ a Silesiis unice exstitit, excolendas, sunt proni. Herbariæ quoque rei præ aliis cum vicinis Bohemis æstimatores & cultores, adeo ut matres quoque filiolas in campos secum deducant, omnesque herbas, quas exspatiando offendunt, monstrent, nominent, usum explicent, æstimationemque illarum & curam commendent. Sic & literarum studia multifaria studio habent, atque ea itineribus, quæ in exteros longinque regiones instituunt libenter, exasciare satagunt. Philippus Melanchton æquissimus nostratium hominum censor quondam apud Henricum Ducem Silesiæ Ligium palam testatus est: nullam gentem plures eruditos Viros in tota Germania quam Silesios, & in nulla alia Germaniæ parte plures ex populo discere & intelligere doctrinas. Nec non artium mechanicarum egregie illorum docilia ingenia capacia sunt. Artem simulandi dissimulandique sine tamen fallacia eos callere dicitur. Amant munditiem & elegantiam in amictu sine fastu. Peregrinos ad accessum aut notitiam, consortium convictumque liberaliter admittunt. Gaudentque aliis benefeciſſe, ostendunt se libentius factis quam verbis, non ostentatione neque innani simulatione. Atque in Silesia ubique sæpius nihil molle deprehendes, imprimis in educatione liberorum, maxime in tractibus ipsius montanis. De fœminis seorsim Sileſ. hoc habetur, licet, ut Mich. Neandri verbis utar: Veneres & puellæ sint tales, ut vel silicem subigere possent ad amandum, tamen pudicitiam servant sine labe. Id testimonium addit Chronici Norimbergici Autor, sexum fœmineum in Silesia venustum esse & affabilem, sine tamen pudicitiæ labe, scribens: „Facies enim illarum color succi plenas & solidas alabandicarum rosarum ac alborum liliorum condecorat, roseaque labella gratiam conciliant, ut hinc vividissimæ videantur. Vox clara & tenera, qualis in orientalibus civitatibus annuente Coo, esse solet. Iis insuper jure hæc laus tribui potest, quod non solum rerum domesticarum suarum diligentissime curam agant, & quod laboriosissimæ sint, adeo, ut virorum quoque labores vicesque obeant. Vratislavienses speciatim

tim fœminæ apud juſtos rerum æſtimatores tam ex corporis pulchritudine, animi virtutibus, quam arte coquinaria, multum laudis tulerunt. conf. Curæi Chronic. Sileſ. P. II. fol. 24. Illorum virorum omnibus togæ artibus Clariſſimorum Sileſiorum non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteros effulgentium & nobilitatorum, qui magna numero numerantur & qui inter reliquos eminent, ab eruditis hominibus hinc inde & paſſim recenſio facta eſt atque laudatio. Quorum catalogum ſi perquirere velles, vix oppidum in Sileſia erit, quod non plures eorum, Claros ſuos Varrones, Quiritesque genuit; quos & quantos modo putes, Wratislavia, Boleslavia, & Leoberga fœcundæ bonorum ingeniorum matres dederint? quam ultimam ſeorſim ideo Clariſſimus Fechnerus ampliſſimo carmine celebravit. Conf. præter alios celebres Viros, Sileſiographos Henelius ejusdemque Sileſiographia renovata. Nec pace Sileſii ſaltem, ſed & bello domi forisque ſunt clari, quorum multa quoque proſtant exempla, quare non amplius attinet, ut longius de fortitudine Sileſiorum afferamus probationes. Bellicoſam nationem Sileſiacam ſemper fuiſſe ex Hiſtoriis patet, quæ referunt veteres Sileſiæ Incolas, omnes illas regiones, quas Albis, Sala, Viſtula, Danubius alluunt, atque adeo quæ ad mare glaciale usque excurrunt, forti armataque manu ſubegiſſe, hanc laudem Matthias Hunniades, Rex & Bertius iis tribuit, quæ notabilia teſtimonia, quia hic ob chartarum anguſtiam vix locum inveniunt, legantur in Henelii Sileſiographia P. I. p. 690. Phil. Melancht. cujus ipſa verba iterum poſſunt legi apud modo laudatum Henelium l. c. p. 679. Sileſios & Miſnenſes ejusdem genii & ingenii eſſe quondam opinatus eſt.

§. XXIV. Evidentes hæ potiſſimum cauſæ ſalubritatis Sileſiæ ſunt, dari poſſunt forte adhuc plures, ſive ejusmodi earum quas privativas vocare malles, quibus mala a noſtra Sileſia prohibentur, ſive poſitivæ, quibus ſalus ipſi exhibetur & quæ forte ſub halituum inviſibilium ſenſibusque alias vix patentium forma, ſive etiam a ſuperioribus, ſive inferioribus locis ad aërem veniant, atque tales, quæ non ſtatim ac ſemper, neque vel diligen-

ligentiori altiorique ſcrutinio cognoſci & detegi poſſunt. Sic refertur a Plinio Lib. 2. Cap. 96. Locridem atque Crotonem ſaluberrimas urbes ob ignotam quandam cœli benignitatem conſtanti ſalubritate gaudere peſtemque ſenſiſſe nunqam; viciniam autem ſæpiſſime. Subeſt in multis locis quoddam ejusmodi, quod nec dici, nec ſcribi poteſt: ut igitur in ſalubritate conſideranda experientia quoque in auxilium vocanda ſit. Plura de hac re leguntur in Diſſert. allegata Præſidis de aëre Lipſ. §. II.

§. XXV. Cum in his paragraphis quædam propoſuimus, quæ ad ſalubritatem regionis facere poſſunt in aprico jam eſſe nulli dubitamus, Sileſiam inter ſaluberrimas regiones, & in quibus ſaluberrime vivitur, numerari jure poſſe. Namque inſunt illi quæ proſunt, quæ juvant, quæ delectant, nam aër, aqua, tellus & loca & quæ in iis reperiuntur in commune velut in habitantium commodum atque ſalutem conſpirant amice. Felix igitur Sileſia reputanda eſt, Campi Elyſii felices in Sileſia (Elyſia antiquitus ſecundum plurimorum ſententiam, etiam bono omine dicta,) reperiundi. Hæc fortunata terra eſt, cujus eximiæ dotes, Inſularum Canarienſium fortunatarum dotibus facile æquiparandæ eſſent. Laudat maxime Plinius Cretam Inſulam, v. lib. 4. c. 12. & Pauſanias in Achaic. Joniam ob cœli clementiam & ſalubritatem, qua fruuntur, maximam. Extollunt alii ideo Hiſpaniam, Braſiliam alii, Alexandriæ tractum, alii rurſus alias regiones ſalubres, nos merito Patriam noſtram extollimus, quia ſalubritas eam extollit.

§. XXVI. Hæc laudabilis univerſæ Sileſiæ in univerſum conſideratæ conditio eſt. Si ad ſpecialia rurſus deſcendere & Sileſiæ loca ac civitates contemplari libeat, inter hæc diverſitatem quandam, ut diverſi quoque ſunt ſitus locorum prout nimirum in montibus, collibus, aut vallibus, in planitie, in humida aut arida terra, ad fluvios, paludes, lacus &c. ſunt locata, ut ubique locorum fieri aſſolet, ſi ſine ſtudio & odio rem fateri volumus, quamvis non adeo notabilem deprehendemus. Nam nulla regio ex omni parte eſt æque beata ac felix, ac omnium

prosperitates semper aliqua alias comitatur labes. Sic optimæ Vratislaviæ aliquo ponitur in vitio, quod in palude exsiccata sit collocata, & quod adhuc variis paludibus juxta solum viscidum atque cœnosum circumdata sit, quod littus Oderæ fluvii depressum & inundationibus ideo aquarum obnoxia regio, quod aer tepidus & humidus, quod diæta ibi accusanda quoque veniat. Ex quibus fontibus causis febres varii generis gravissimæ, nephritis, arthritis & similes aliique morbi ibi frequentissimi essent. vid. Topographia Silesiæ M. Meriani, p. 129. Similiter D. Joach. Curæus in Chronic. Sil. P. II. f. 43. seqq. scribit: Eleutheropolim Silesiæ frui quidem ex sua natura integra salubritate, ast paludes quasdam limitare eandem, in quas opifices varias sordes conjicerent, ex quo aer fœtoribus inficeretur ac corrumperetur, qui alioquin nimis frigidus & penetrans esset, quare & incolis, præsertim fœminis, utplurimum phthisis, malum endemium ac lethiferum esset. Ast hæ causæ partim hodie sunt mutatæ ac aversæ aut haud difficili negotio emendari & præcaveri forte possent, partim non tantæ, quæ Silesiæ salubritatem destruere totam & nostrum de ea assertum evertere aut saltem dubium reddere possent. Siquidem etiam hodie Vratislaviæ optime vivitur, cum enim hæc urbs in læta planitie sita sit, ac ideo ventis præsertim septentrionalibus pateat, iidem omne vitium, si quoddam ex soli natura exsurgeret, iterum valide depellunt & totam atmosphæram ibi in salubrem redigunt modum. Equidem: Jauroviensem & Svidnicensem, Munsterbergensem, Nissensem, Oppaviensem, Teschinensem Ducatus, cum saluberrimis Silesiæ, imo & Germaniæ Provinciis, ne audacius quid dicamus, conferamus, vix possumus dubitare. Quicquid salubre in aliis seorsim censetur, in his collectim omnia pene videntur, vix oppidum ibi, vix pagus est, in quo non singulare quid ejusmodi inveniatur. Altissimi hi omnin osunt & montosi, interjacentibus tamen campis passim latis & lætis, apricis convallibusque amœnissimis, nullos facile ardoris æstusque solaris impetus nimium agitantur, torrentur aut uruntur. Hyeme equidem gelu acerbius paulo propemodum tanguntur, sed ideo non insalubriores cæteris sunt, quoniam in duram glaciem splen-

splendidamque crystallum nives congelantur molles & diffluæ & occlusis magis terræ poris exclusisque crassioribus & heterogeniis impuris, vappidis, humidis, effluviis, semper lætior atque defœcatior refulget atmosphæra ibi, siquidem & in frigidioribus locis vegetiores, longævioresque reperiuntur incolæ candentibus nivibus montibus varietate delectantibus eos, ac salubritate conservantibus. Ad hoc contra frigus optime se munire sciunt Silesii pellibus, quarum usus in tota Silesia, frequentior & maturior est, quo vicinos suos, Polonos imitantur, unde & proverbium de nostris monticolis ortum jocosum, quo dicitur: Sie legen zwey Tage vor Johannis die Peltze ab, und zwey Tage nach Johannis legen sie solche wiederum an. Per totam vero æstatem temperata tempestas est, verno alias tempori fere similis, ad quod etiam multum contribuunt ab hyeme relictæ & sensim liquefactæ nives, quibus sic suaviter aer temperatur ac amœnitate sua homines recreat ac reficit, atque omnes anni partes pari salubritate percurrit. Nolo amplius adducere atque probare sed potius credendum pro cujusvis placito relinquo quod quidam afferunt atque affirmant atmosphæram in montibus sudetis maxime juxta alia montana Silesiæ loca, circa Goldbergam in tractibus Münsterbergensibus & Nissensibus montanis &c. & circa eos totam effluviis aureis atque argenteis ex reconditis ibi mineris effluentibus magnum & incomparabile salubritatis momentum refertam esse Hinc & corporis animique viribus & longævitate præditos, erectos & sola canitie senes ad instar Apenninorum montium generant aluntque præ cæteris, quales fere in omnibus locis montanis spectantur, quod Plato jam olim retulit. Exinde intelligitur quantum sit montes accolere. Nec nostri monticolæ apoplexiis frequentioribus & peripneumoniis &c. afficiuntur, alias familiaribus. In his tractibus omnes urbes & oppida speciatim Schwidnicium Leoberga, Stregovia, Boleslavia, ab Mart. Opitio supra laudato carmine commendata, &c. a puro, sereno & salubri aere, cœlique clementia, a gelidorum fontium scaturigine aquis limpidissimis & salubribus in Silesiæ Topographiis a celeberrimis illis viris Schikfusio, Henelio, Lucæ aliisque passim conscriptis per series laudan-

dantur. Laudanda fero seorsum veniunt patriæ Hirschbergensis diœcesis vicina loca, quæ & Thermas Hirschb. complectuntur, delicias jucundioris regionis cum omnigenis salubritatis momentis habent conjunctas & lætitiam quandam ingenitam. Conf. Præsidis Differt. de Thermis Hirschbergensibus §. 1. & 2. Finitimum oppidum Schmideberga, tria milliaria ab Hirschberga recedens, pariter ob aeris salubritatem celebratissimum est, adeo, ut ad posteros notum sit hoc nunquam peste aut aliis morbis contagiosis tactum fuisse. Incolæ ejus quidem & accolæ alias strumis & scrophulis colli, endemio quasi, malo notati erant, sed ex quo aquæ ex certis quibusdam rivulis ex metallifodinis profluentibus usus cessavit, non amplius hodie ac quondam experiuntur ejusmodi. Plura de pluribus ejusmodi addamus chartarum angustia vetat, nam diximus saltem quædam, cum restent plura laudanda. Salva sis diu, suavissima Silesia, calamus Te deserit. Tu vero, Candide Lector, excuses, quæ mala sunt.

III. DIS-

III.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE INCOLATUS MONTANI SALUBRITATE,

HABITA LIPSIÆ

DIE XVII. JANUAR. ANNO MDCCXXI.

AUTORE & PRÆSIDE

D. CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI.

PROOEMIUM.

PLurima magnaque sunt argumenta, montium incolatum commendantia. Haud certe postremum est illud ac multum dignitatis concilians, quod sacra teste pagina Deus ipse montibus sit delectatus, & quod omnia fere sua mysteria in iis celebraverit, atque sua immensa beneficia hominibus exhibuerit ac donaverit. In monte enim legem, humano generi profuturam, solenniter promulgavit, & cum Moyse loquutus est. In monte ædem sibi sacram a Salomone Rege ædificandam, in qua Deus exauditurus erat supplicantium vota, magnificentissimo curavit apparatu. Jussit Deus Abrahamum ad montem ascendere ac ibidem filium sacrificare suum. In montibus Salvatorem nostrum optimum cum discipulis suis atque aliis sæpius versatum esse legitur; cum sive pro genere humano orare, sive beneficia illi conferre atque benedictionem elargiri, sive corporis sui glorificati revelare præstantiam, sive sacro-sanctum sacrificium, passionem & mortem in monte Calvariæ offerre salutemque æternam nobis recuperare, sive solennem in cœlos ascensionem celebrare ipsi constitutum esset. Passimque præterea sacris in literis quorundam montium celebris memoria est. Ut hinc non incommode forte, mos ille Ethnicorum, divinitatem quandam in montibus admirantium, in imitationem vere credentium versus, derivetur, montes Diis suis consecrandi, sibique multos fingendi Deos Deasque tutelares monticolas, Oreades, Faunos, Satyros ipsum magnum Pan, quos pineo ideo etiam serto symbolo montanæ dotis decorisque redimitos facie, pedibus caprinis (quoniam hæc animalia montes amant) pinxerunt, Nympharum item omne genus locorum montosorum amore retentum ibi considere dixerunt. Ita Taygetum

getum excelsum Laconiæ montem Spartæ imminentem & Libero Patri Bacho dicatum leginus, atque etiam Dianæ Venationum Deæ montium amantis lætiusque ibi feras insequentis, sacrum fuisse, ex Callimachi Hymno in Dianam vers. 188. discimus, passimque in antiqvis monumentis librisque ac nummis memoria templorum in montium verticibus Jovis ἀκραίᾳ colligere est. Atque in bicipiti Parnasso & Helicone Pimpla Aonumque & Pieriæ cacuminibus elatis Musarum sedes fuit, cujus amœnitates multis nominibus celebrantur. Montosis in locis rarissima & admiranda, quæ Dei mirandam potentiam, sapientiam ac gratiam ostendunt, inveniuntur &c. montium enim non solum grata elegantia ac decus quod terræ conciliant sed & insignis usus ac summa necissitas ut ii ipsi præ aliis eminent, qui tanquam ossa terræ & catenæ, quæ illius singula membra utilissime connectunt & tanquam ubera concinnam elegantiam addunt atque simul multa commoda fœnerantur inter quæ non postremum est fontium fluminumque exortus. Hinc notabile est Mosen regionem Populo Israelitico promissam exinde etiam laudasse quod montes vallesq; insint dicebat enim populo Israelitico ut legere est, Deuter. XI. v. 10. 11. Das Land dahin du kommst, es einzunehmen, ist nicht wie Egyptenland, davon ihr ausgezogen seyd, da du deinen Saamen sæen und selbst träncken müsteſt wie ein Kohlgarten: Sondern es hat Berge und Auen die der Regen vom Himmel träncken muß. Atque constat sane montium quos ideo Sapientis Architecti elegantissima pariter ac utilissima opera esse Xenophon eleganter dixit, non minor etiam utilitas, quam præstant planitiebus adversus omnem procellarum impetum, cujus præsertim Lybia testis esse potest, quæ ob montium defectum tot in solo experitur, hominum a ventorum vehementia & arenarum copia, oppressiones & ubi ut Hippocrates dicit de victus rat. lib. 2. Homines latenter exsiccantur, quot vix in salo contingunt naufragia,

atque

atque immanes, horrendasque oceani & fluminum inundationes. Nec non inserviunt fortissimis muniminibus securæque tutelæ ac rectissimo refugio hostiles insultus excludendi, quod Herodianus Hist. lib. II. c. II. *& Polybius Hist. III. scribunt: Esse Alpes insuperabile Italiæ munimentum atque propugnaculum; hocque non solum fastigio suo præstant montes atque reconditis suis recessibus, sed angustis faucibus, claustris atque clausuris. Hi non solum delectamenta sunt atque refugia, sed etiam instructissima pharmacopolia, remedia omnis generis & quæ alibi non progerminant proferentia. Quam maxime etiam montium incolatum commendat summa eorum salubritas, quæ hominum salutem, incolumitatem ac vitam, maxima Dei, quæ hominibus concessit dona, sœneratur. Qua de re ut semper nos montium fastigia præ cœteris aliis terræ conditionibus, & admirationis & amœnitatis delitiarum commodorumq; plurimum habere existimavimus & nobiscum existimant qvoque plurimi, fusius de hoc paulo agere, præsentis jam est instituti, qvod & rei operæ pretium nos facturos arbitramur, si, quantum ingenii vires permittant, in hoc pergrato argumento pauxillum laboris ponamus. Divina modo hoc secundet bonitas, animitus precamur! Condonabis autem B. L. si ordine interrupto hic fuerint forte congesta, ut etiam montium, de quibus agitur, forma irregularis conspicitur ac in situ velut ordinis neglectus, & si circa montium potius radices saltem, (ut ajunt,) versati simus, ipsos montes nondum supergressi. Neque enim nos illi sumus, qui magnos promittere montes volumus.*

§. I.

TEllus, quam benignissimum in cœlis Numen inhabitandam mortalibus dedit ab isto summo rerum Creatore sapientissime varia ratione est interdistincta & non eodem modo ubique se habet, sed variæ conditiones ejus spectantur. Atque unaquæque regio diversas habet proprietates, ut neque virtus cœli eadem etiam omnibus ratione immittitur, neque a cunctis

cunctis cœlorum partibus eadem dimanant. Sunt nempe loca maritima, sunt littoralia, sunt insulæ, sunt terræ continentes, sunt campestres, sunt pratenses, sunt tractus sylvestres. Hic nudæ, illic arboribus proceris obsitæ regiones, hic siccæ & aridæ fontium aquarumque penuria laborantes, illic humidæ & paludosæ inveniuntur. Ibi rursus demisso humilique loco, aut plano atque æquali, alibi elato locata loca, atque collibus montibusque insurgentibus interdistinctis spectabis. Hæc regio loca conclusa, alia patentia, hæc aprica, alia umbrosa monstrat. Hæc violento æstu torrentur terræ spatia immo exuruntur, aliæ aspero constringuntur frigore. Hæ ventis secundis illæ adversis afflantur, & rarius aliæ aliis frequentius procellis exagitantur, atque non raro conquassantur immo pervertuntur. Hos districtus molesta non modo, sed & nociva nebula tectos, alios continua pluvia madidos videbis. Hos bono aspectu gaudentes, illos malo exosos, ac Scolon Æsopiæ pressos experieris. Hos lætus irradiat Phœbus, alios cimmeria obscurat densa caligo & monstrat Aphannas. Hic Arabiam felicem, odoribus suavissimis spirantem, illic Judæam Asphaltiten fœtentem videbis. In hoc grato & amabili hilarique vultu bono & sano, in alio fœdo, squalido, exsucco elumbique & tristi incedunt facie habituque conspicui. Hos exhilarant claræ profluentes aqvæ, illos adverso stagna inquinant halitu, Hæc grato humus salubrique cibo & potu pascit alma mater incolas, alia contristat, immo necat iniqua noverca. Verum non omnes terrarum adeo diversas conditiones, non earum tractus omnes peragrare & enarrare longius, sed jam optimos tantum celebrare constitutum est. In his & circa hos commoremur ergo paululum, quia optimi sunt, & corpus & animum recreant, & sanitatem vitamque concedunt, conservant, & augent.

§. II. Omnium autem optimus ad valetudinem, vitam, sanitatem & integritatem hominum, qua nihil exoptatius feliciusque iis in his terris Deus ter Optimus Maximus dedit, maxime accommodatus est situs positusque acclivis, altus atque elatus, qualem habent regiones & tractus montosi supra alios porrecti, a quo regionum salubritas maxima ex parte dependet,

cujus conditio talis est, ut non facile alia aliorum locorum eam superet immo æquet, quas alibi sparsim, hic junctim reperies omnes salubritatis causas, quæ perennem salutem apportant & morboniæ locum esse non facile patiuntur, quoniam ibi cœlum, aer, aqua, terra subterranea, arbores, plantæ, herbæ, flores, vegetabilia & animalia, quæ ibi crescunt & educuntur & quæ in alimentum dein inhabitantibus cedunt, quæque alias in ejusmodi scrutinio in considerationem veniunt, in commune quasi bonum atque emolumentum monticolarum amice conspirant. Quia vero non eadem ubique potentissimi solis, non aeris & ventorum est vis, cum etiam multifaria dentur, quæ eam mutant & alterant, debilitant, minuunt, ac impediunt & quæ etiam effluvia sua a toto evoluta ipsi immittunt, quæ dein in eo tanquam vehiculo afferuntur ac ingeruntur. In qua consideratione circumstantia atque interjecta inprimis adducuntur. Ex quo v. gr. etiam est, quod quibusdam in locis & saluberrimus ventus non æque conducat. Sic refertur ab autoribus in Hispania, excepta sola Murcia, orientalem ventum nobis Germanis alias optimum, plerumque esse incommodum ac Judæis septentrionalem fuisse infensum. Ideo etiam situs montium felicitas perficitur, si circa mediocritatem subsistant habitabiles montes & quibus undique conceditur liber aeris atque ventorum aditus, qui valles, arenosas aridas habent subjectas, ut eo nomine præsertim v gr. celebres sunt montes Barbariam cingentes, qui non aliis majoribus circumpositis sunt præpediti, si meridiem versus & occidentem eminentes montes & saltus editiores habent, qui frigidiorem siccioremque auram efficiunt & eorum impetum cohibent, intercipiunt, non transmittunt tanquam forti vallo oppositio. Licet etiam ipsi non adeo hic noceant etiam si liberius appellant, quia jam temperatur immo impeditur, cohibetur multum eorum vis per ipsorum locorum montanorum aliorumque v gr. sylvarum &c. conditionem atque affectiones & si rursus ab oriente & septentrione spirantes ventos frigidos & siccos, declivis positus admittit &c. Limitatur autem ea si montes ad austrum vergunt, si valles subjacent humidæ & paludosæ vapores frequenter &

nebulas

nebulas immittentes, si aliquo in loco angustus tantum aditus pateat ventis, qui ob angustiam ibi loci cum impetu irruant, nimius fortiusque ferunt, turbant & exsiccant &c. Ad ulteriorem hujus rei descriptionem referamus locum apud Dietericum in Jatreo p. m. 1412 : „Urbes in montibus apertioribus, „quas aer ferit vehementior, salubriores merito habentur, sed „si montes montibus, collesque collibus jungantur per flexuo„sa intervalla obscurarum vallium, sæpe mephitis exhalatio„num, urbes incommodat, ut insalubriores sunt civitatibus, „quæ in declivibus vallibus ipso in luto jacent. Appositè hoc „contentione urbium Hassiacarum, Marpurgensis & Giessensis „ex D. Dan. Horstii manuductione potest monstrari scribentis te„stisq; esse possum; ipse ego utrarumque urbium incola pluries „infestatum fuisse montanum Marpurgum morbis pestilenti„bus, quam depressam situ Giessam. Sæpius febricitat septi„collis Roma quam ὑφελὴ Heidelberga. In hanc quoque rem non intempestivum hic erit referre, quod Hippocrates habet de Diæta L. II. vicinos nempe montes semper efficere, ut venti sint, illinc spirantes parum salubres, verba sunt sequen„tia : Quibus in locis aquilones montes vergunt, in his aqui„lones perturbationes & morbos pariunt, ac rursus : Quicun„que venti relictis montibus ad urbes accedunt, non solum sic„cant, sed etiam turbant spiritum, quem inspiramus & corpo„ra hominum morbosa faciunt. Equidem alias communi veluti ore in sanitatis longævitatisque atque staturæ magnitudinis consideratione vita in antris atque speluncis præ vita in montibus magis adhuc est æstimata atque prælata, quod antro Epimenidis quondam indicare voluerunt. Ast si omnes conditiones spectare vellemus anceps adhuc judicium esset, cui hæc gloria potiori jure esset tribuenda, de quo autem jam non longius erimus solliciti.

§. III. Etenim depressa, demissa, declivia, humiliaque collibus montibusque eminus magis circumsepta & concava loca multa scatent sorditie, humiditates immissas colligunt a vicinis affluentes & inundationibus fluminum præterlabentium inundantur, & pene suffocantur, pluviis sæpe maleolentibus

humectantur, paludibus fœdis confœdantur, densis insectorum examinibus molestantur, putridis exin effluviis conspurcantur pessime & corrumpuntur, ventorum liberum aditum & solis radiorum necessarium accessum & ventilationem excludunt, unde ventis vacant, exhalationes ejiciendas concludunt & retinent; unde aer humiditatibus, impuritatibus ac tepore noxio & crassitie imbuitur ac vappidus fit, adeoque insalubris, qui talem indolem corporibus quæ ambit communicat & ingerit, ac elaterem vividum fibrarum omnium infringit atque inertem reddit, unde segnior atque impeditior fit transpiratio excrementitiæ salino-sulphureæ sordes intus retinentur, quæ pessimam sanguini & humoribus inducunt intemperiem quæ matrem multarum earumque gravium ægritudinum fœcundam se præbet. Et hinc morbis varii generis, pessimæ notæ, malignis, febribus intermittentibus, irregularibus, cachexia, hydrope, œdematibus in pedibus, scorbuto, asthmate, variis exulcerationibus, sanguinis egestionibus debitis salutaribus per menses & hæmorrhoides imminutis, scabie, immo morborum principe peste afficiuntur. Rursus aperta, plana, æqvalis, campestris, atque pratensis regio incommoda magis ob calorem æstate majorem ægre ferendum, (quoniam aut nimis exposita est radiis solis aut illorum geminatorum & reciprocatorum repercussioni, locis ita dispositis,) virium & vitæ prædatorem, habetur. Si qui etiam venti perflant, non adeo temperant eum, aut alia ratione adeo notabile emolumentum afferunt, quia magis sunt languidi, tepidi & vaporosi. Eapropter nives non raro in montium fastigiis per æstatem citius vero colliquatas ad radices & in demissioribus locis videbis. Unde febres & morbi continui, acuti, ardentes, diarrhœæ, dysenteriæ, choleræ, iliaca passio, hæmorrhagiæ effrenes &c. ibi frequentius reperiuntur. De pratensibus regionibus speciatim bene monet experientissimus Ramazzinus de Morb. artif. cap. 40. quod ea non satis sint salubres & varios morbos recenset eorum, qui circa prata habitant, ac legem adducit, vi cujus prohiberi possit, ne vicinus agrum suum pratum faciat, de qua lege JCti judicent. Conferatur & Zachias Q. M. L. Lib. V. Tit. IV. n. 14.

de

De aliis terrarum & regionum conditionibus non plura jam afferamus, in sequentibus simul forte tradendas.

§. IV. Salubritatis causa est primario & proxime aer, communis ille sanitatis vitæ pariter & morborum mortisque faber, autor & dominus. Nihil enim in tota rerum natura invenitur, quod præter animi pathemata & sic dicta venena tam subitam tamque fortem mutationem motibus & functionibus in corpore nostro efficiat, quam aer mutatus, quoniam & maxima ejus necessitas est, adeo, ut ne per momentum quidem eo carere possimus & qui omnia ambit omniaque pervagatur, etiam intimos recessus non intactos relinquit, sic etiam indesinenter per adeo multos patulos poros inter respirandum deglutiendumque maxime etiam cum cibo & potu quos assumimus, ad corporis interiora pertransit, atque tenuia ac sensibus vix perceptibilia effluvia, quæ cum aere feruntur, ac cum eo sive conducibilia sive noxia promiscue etiam in intima penetralia ingeruntur, cujus rei testimonium addit experimentum illud per quod sulphur vulgare & antimonium in spiritum fumantem redigitur adeo penetrantem, ut argentum in cistis ligneis asservatum, undique bene obturatis & clausis tectisque fusco colore imbuat, aut si quando mercurium inunctum, omnes partes pervadere, aut Cantharides in emplastro in meatibus urinariis dolores excitare experimur, quod Boyle primum est expertus, Tr. de subtil. effluv. Permagni ideo, (quoniam humorum motum afficit & mixturam alterat,) ad hominum sanitatem & incolumitatem interest, quali fruantur aere: puro, sereno, tenui salubri valent diu, impuro, corrupto crassoque minus convenienti, languent, ægrotant ac citius moriuntur. Aer vero omnium saluberrimus est, qui crassis, vappidis, humidis fœtidis, putridis acribus, verbo, minus convenientibus particulis expers est sed purus, simplex, serenus temperatus bene vel ut Hippocrates lib. I. de Diæt. §. 8. loquitur, qui ignis & aquæ habet temperamentum, qui crassiusculum aerem in sedatas pluvias dissolvit, qui tenuis, siccus, laudabilibus effluviis, gratis, suaveolentibus, spiritus recreantibus imprægnatus, frigidiusculus, paulo gravis, elasticus & liber est. Æstas, regnante aere

tenui, & ſereno, ſicco ac hyems frigido, gravi, elaſtico magis ſiccoque aere prædita præ vere & autumno nebuloſo, nubiloſo, humido, pluvioſo ſaluberrima tempora ſunt. Eo facilior ejus vis ac actio eſt, quo liberiori acceſſu ad loca conceditur, ut corpora quævis libere permeare & afficere jugiter poſſit. Ejusmodi aer intra corporis penetralia admiſſus, humoribus immixtus, imprimis reſpiratione intra pulmones receptus calore, tenuitate, gravitate, & elaſticitate, humores molliter expandit, eosque & ſimul partes ſolidas optime movet, illorum progreſſum harumque actionem adauget, ſanguinem circulantem per eas urget, propellit, promovet ad cor tanquam fontem alioquin langueſcentem & emoriturum. Atque aer juxta vim ſuam hanc elaſticam & gravitate, qua pollet, & ſimpliciſſimo & agiliſſimo ætheris elemento, quod vehit, ut & multis effluviis acceſſoriis, quæ ſuo ambitu detinet & ſolidas, quæ filamentis ſunt centextæ, quæ premi ſe patiuntur iterumque reſiſtunt, magis minusque pro varia textura & ſtructura, roboris conditione afficit ac premit, eoque elaſticam & expanſivam vim in ſanguine quaſi in æquilibrio ſervat, ut niſus & reniſus utrarumque æquabilis ſit.

§. V. Ejusmodi, qui nimirum allatas jam poſſidet dotes, præ aliis eſt aer montanus & ideo totus vitalis. Quoniam enim montes & loca, urbes, oppida, pagi, ædificia quæ iis ſunt ſuperadſtructa vel in ſummitatibus illorum, vel ad latera atque & circa eos locata eminentiorem obtinent ſitum, per quem aeris liber acceſſus ad ea, nullo interjecto obſtaculo patet, meat ac permeat ea, ac afflat. His enim in locis lenis ſemper, ſæpius validus ſpirat ventus, qualem etiam ordinario loca maritima præſertim Anglia ſentiunt, qui atmoſphæram optime ventilat, & effluvia impura & nociva forte eo delata, agitantur, ventilantur, disjiciuntur ac extruduntur. Per eundem & temperatus bene qui omnibus convenit, ibi aer eſt, non nimis calidus verno alias tempori ſimilis; ſiquidem & æſtuoſa æſtate ipſa aeris ventilatione fervor ſvaviter lenitur & adhuc capioſis eteſiis gaudet, qui immodice æſtuantibus ſolatio ac refrigerio ſunt; Aprica etiam ſunt, ut ſol illuſtrare ea ac motu ſuo aërem movere magis poſſit, is purpurante ſtatim auro-

ra

ra & vesperascente cœlo bis de die lustrat ea, quæ præ aliis patent tota, aeremque mox nunc tepidum reddit, nunc fuligines dissipat nocturnas. Purus hinc est, serenus, siccus, sudus & tenuis subtilis, bene temperatus, subfrigidiusculus, elasticus. Pluvia quidem debite & frequenter rigantur loca montana, sed ea non remanet diutius, & defluit. Frequentius rore recreantur, in quo saccharum dulcissimum & occultum optimum vitæ cibum & naturæ nostræ gratissimum latere dixit Helmontius Tr. imag. ferm. p. 33. Effluvia crassa, graviora ob ponderositatem & humida, palustria, fœtentia, putrida, contagiosa, adeoque nociva rarissime ruunt in altum atque eo usque non facile ascendunt. Datur enim certis finibus tantum coercitum eorum pondus & motus, ut ultra non ferantur. Hinc in maximis & summis montium quorundam jugis, ut de Olympo multi cum Aristotele narrant, ob nimiam aeris tenuitatem, subtilitatem & siccitatem, quæ neque ad respirationem animalium neque ad sanitatem & vitam apta est, spiritum trahere adscendentes nequeunt, nisi humidas spongias ante os teneant. Historiæ referunt, per excelsa aliquorum Americæ montium cacumina peregrinantes repente una cum equis ob hanc causam exspirasse, si fides habenda; ego quidem adeo exsiccatum ac tenuem aerem etiam in excelsissimis montium cacuminibus nondum mihi concipere possum, ut partibus ad vitam sustendandam dicatis prorsus careat. Hoc eo facilius mihi patior persuaderi, quod expertus est Josephus a Costa, qui, referente Boyleo Nov. Exper. Phys. Mechan. p. m. 137. Tenariffæ montis apices, altos Peruviæ montes illorumque imo totius terrarum orbis editissimam Pericacam transiens una cum sociis vomitu violento & sanguineo est correptus, nonnisi iterum aëris mutatione compescendo, qui tamen spongiis madidis non opus habuit, sed sine iis hos altissimos montes ascendendo superavit. De Madrito idem referunt, ibi adeo subtilem & tenuem esse aerem, sanitati & vitæ incolarum nocentem, ut, ad corrigendum hunc & crassiorem reddendum, varias fœculentias crassas in plateas conjiciendi summo statim mane, necesse habeant, quæ vero a meridie exsiccantur immo absumuntur in halitus atomosque resolutæ. Ubi enim levior justo aer est, impropor-

tiona-

tionatus animalibus est, siquidem æther se expandit nimium, & sanguinem, humores & spiritus præter modum rarefacit, ex qua rarefactione atque expansione vasa præter modum distenduntur & disrumpuntur, ut contenti liquores prosiliant. Hinc ejusmodi varii morbi & symptomata proveniunt, hæmorrhagiæ, hæmoptyses, febres continuæ, ardentes, scorbutus calidus, quem vocant (ob salia in sanguine hærentia ab efferato æthere acuata) dolores variarum partium capitis, imprimis (ob distenta subtilia vasa) dentium, artuum epilepsia, (ex acrimoniæ volatilis in subtilissimas & summe sensibiles nerveas fibras & nervos impetu irruente & vellicatione.) convulsiones, vertigo, vigiliæ involuntariæ, syncope, cholera, inflammationes, bubones, carbunculi, sudores colliquativi, diarrhœæ, dysenteriæ, exanthemata cutis, petechiæ aliaque plura ejusmodi mala. Nec ut ad prius paulisper iterum redeamus, loca elata a præterfluentibus fluviis aquarum inundationes adeo nocivas, putridas atque malignas ejusmodi partes, vermium copiosissimum proventum ac infectorum densam colluviem &c. uberrime atmosphæræ ingerentes, patiuntur. Cum & frigidior in locis montosis semper sit aër, elasticus magis est, quod jam ad liquidum satis perductum existimamus. Vel ex his jam liquido constat, ejusmodi aërem omnes in corpore actiones integras conservare atque augere, i. e. sanitatem & salubritatem corpori & integritatem menti sua salubritate impertiri.

§. VI. Plures montosis in locis dantur causæ salubres, quæ partim ipsam aëris salubritatem augent, partim alio modo reliquas salubris diætæ partes explent atque constituunt. Rectissime Rhasis monuit L. I. de Reg. princ. c. 2. nihil esse præter aëris puritatem magis pertinens ad sanitatem aquarum salubritate. Proxima itaque modo aquæ, quæ in montosis tractibus scaturit, provolvitur manat atque hauritur, consideratio sit, quæ & facile in aerem transit evecta atque resoluta, ac ad potum & cibum incoquendum adhibetur, quam & quotidie assumimus & cujus usus ad nutritionem, sanitatem ac vitam conservandam adeo necessarius est, quoniam per eam intime va-

ria

ria ac diversa sanguinem & nutritionem constituentia corpuscula miscentur, nec non modo nutritionis, augmentationis, sed & excretionis omnis utilissimum negotium instituitur atque omnis humorum motus vitalis perficitur; quare interest multum, qualis sit ea. Hæc ex fontibus ipsis & scaturiginibus, quarum aquas quas montes acceperunt, prius transcolatas, temperatas, depuratas (quo diutius enim & longius per terræ poros descendunt, & a particulis fixioribus, crassioribus, limosis mediante filtratione liberantur & defæcantur, eo puriores redduntur) & bene quasi digestas & coctas reddunt & tribuunt quæ aliis tribuunt, ut dicitur, melius dulciusq; hauritur. Hæ enim ibi copiosissimæ sunt & confluunt, ut rudimenta & incrementa unice dent ac addant largissime, quæ deinceps satis sunt multas amplissimas regiones easq; dissitas irrigando. Hæc optimas notas, quæ alias requiruntur, possidet uberrime aqua montana, v. g. cito calefit, cito evaporatur solis aut ignis calore citoque refrigeratur &c. Ex locis altis, saxosis, glareosis magna promanans in copia, liberiori aeri exposita manet & eximias dotes secum affert hominibusq; offert gratis ad usum. Hæ pellucidæ, gelidæ, leves, tenues, subtiles, dulces, claræ, limpidæ, crystallinæ, argenteæ (ut Apulejus effert) & vel in media æstate gelidæ, visui gustuique pariter gratæ, amœno fluctu prorumpentes undæ, non possunt esse non laudabiles, quibus meliores & jucundiores Cydnus, Melas, Hales, Gorthynius, Choaspes, Eulæus, Alpheus adeo ob id decantanti fluvii vid. Plin. L. 6. c. 27. L. 31. c. 2. Solinus L. 51. vix vehant, atque aquæ destillatæ alias chemica arte aut pluviali, quæ secundum Hippocratis testimonium lib. de aere, aquis & locis, optima ob dulcedinem, levitatem, subtilitatem & puritatem est æquiparanda. Ejusmodi aqua adhibita maximopere refocillat ac recreat, nullos in ventre flatus & tormina excitat, ventriculum magnis haustibus etiam pota non gravat & debilitat, facile per omnes vias distribuitur, transpirationem & urinam provocat, alvum lubricat, appetitum excitat, bene digerit & dividit, solvit etiam in subtilissimis canaliculis hærentes humores, qui impedimento sunt, pituitosos, lentos, crassos, obstruentes aut constringentes & acres vellicantes temperat ac edulcorat eosque per

ſua emunctoria ſimul educit, facile tranſit & calculum imprimis & arthritidem, lienum intumeſcentias, paſſionem hypochondriacam & iliacam imprimis præcavet. Si dein in integros fluvios confluunt, (ſiquidem omnes fere majores amnes ex magnis montium jugeribus ortum ſuum trahunt) ac exinde colliguntur rivuli atque torrentes, qui vel in media æſtate non tepeſcunt ac media hyeme non conglaciantur, aerem & atmoſphæram undarum motu excitato ex præcipiti per arenarias vias profluentes ſaxeosque ſcopulos alluentes, agitant, placido & leni vento exinde enato. Eæ vero undæ, quæ per campeſtres & planas, lutoſas terras manant, lento gradu procedunt, aquam trahunt turbidam, impuram, ſalſam, craſſam & male olentem. Quemadmodum etiam aquæ ex vivis montium fontibus fluentes fortiori curſu actæ prolabentes molarum fortius movent rotas, quam quæ lentæ, conſtrictæ quaſi paludibus & impuritate cœnoſaq; putredine impeditæ difficilius moventur. difficiliusq; movent. Audiamus de his Cardanum L. 3. contrad. „Flumina velociter cur„rentia aerem attenuant faciuntque corpora tenuia, macilenta, „mobilia &c. cœnoſa vero & quæ tarde moventur, ut Phaſis & „Padus, corpora minus valida reddunt & ſana. Quoniam aer aqua„rum attenuatis & ſurſum elatis vaporibus alitur atque augetur „& humectatur, infrigidatur atque ſic ardentiſſimus ſolis æſtus „æſtate temperatur commode ſimul alia peregrina effluvia & „noxia, acria maligna figuntur, immutantur, dejiciuntur & ſic „atmoſphæra quoq; depuratur in magnum emolumentum mo„vent, ventilant atque attenuant egregie. Præter harum aquarum ſalubrium dotes, quæ in potu, ut & dein in cereviſiis ex illis paratis atq; in coctis cibis præbentur, & hæc eſt, quod in victu concedant piſces omnium ſaluberrimos ſaxatiles ob carnem ſapidiſſimam, ſuaviorem, firmiorem, duriuſculam, minus viſcidam, quam afferunt cocti, truttæ, funduli &c. qui in locis ſaltem montoſis habentur ſiquidem & alii, v. g. lucii, carpiones, percæ &c. quæ in his aquis' capiuntur, ob id præferendi ſunt iis, qui in piſcinis, ſtagnis, fluminibus cœnoſis, tepidis, turbidis, quæ in planis regionibus & humidis utplurimum viſuntur, ſunt enutriti, hi enim præbent nutrimentum magis viſcidum & craſſum. Idem dicendum de fluvia-

fluviatilibus cancris, qui delicatiſſimi ibi ſunt, quos vel Æſopus vid Bodinus in Theatro n. 1. pag. 3. meliores non optaret ſibi. Illuſtrat hæc Wilh. Piſo Hiſt. N. & Med. Braſil. L. I. longævitatis & incolumitatis cauſas aquæ adſcribens ſequentibus: „Dum aer, „olera, fructus, animalium carnes, aquarum naturam ſequun„tur, per continuam generationem eo deveniunt, ut homi„num temperies fere ſit qualis aquarum.

§ VII. Juxta aquas, quæ, ſive ex communibus ubique fontibus & puteis hauriuntur, ſive ex ſcaturiginibus per torrentes & rivulos promanant; aliæ quoque ſingulares aquariæ dotes hinc inde montoſis in tractibus, magno Dei T. O. M. beneficio, innumeræ non raro reperiuntur, quæ, licet ſimplicem aquam referant, ſingulari tamen tenuitate, ſpirituaſcentia, puritate & claritate ſe commendant. Hinc tales in vitrum aquæ effuſæ, bullulas multas emittunt. Rurſus alibi profiliunt fontes ſalutares, qui notabiliori magis vi medicata, majorive ingredientium numero & pondere præditi, ut vitrioli, ſulphuris, aluminis, ſalis &c. hominum infirmitatibus medentur; quales aliquot recenſentur in Sileſia reperiundi in diſſertatione Præſidis de Sileſiæ ſalubritate §. 13. alios alibi plures ejusmodi in locis invenies. Notiores acidulæ ſunt, ex quibus in noſtris regionibus celebritatem imprimis acquiſiverunt, Schwalbacenſes, Egranæ, Selzenſes, Tincſteinenſes, Wildungenſes, Pyrmontanæ, Spaadanæ, in Sileſia in Pago Altwaſſer ut & Giren, Tauhauſen, profluentes &c. quibus etiam accenſetur fons in vicinia noſtra Lauchſtetenſis. Ejusmodi in variis tractibus montoſis ex ſuperfluo Dei beneficio numeroſi maxime habentur, quæ vero, obeorum frequentiam & multitudinem, vix curantur aut æſtimantur, ſiquidem in gere hoc tenendum eſt: dato aliquo in loco uno fonte tali, aut acidulas aut thermalem aquam concedente, circa hanc regionem dari quoque alios multos ſimiles, licet quandoque viribus inferiores. Sic circa thermas Carolinas ſpatio V. milliarium plus quam CC. fontes aciduli numerantur, licet vel incolis ſaltem III. vel IV. noti ſint, qui in uſum vocantur. Notiſſimi ſunt thermales fontes, quales in Germania noſtra celebratiſſimi ſunt Carolini, Teplicenſes, Hirſchbergenſes, Em-

ſenſes, quos præſertim non immerito cum Greg. Nazianzeno, „Dei „gratuita munera appellaveris pauperibus æque ac divitibus „libera, qui omnem artem humanam in ſanandis morbis longe „ſuperant, Divina plane præſtantes. Sunt vero iſti officina, quibus alma natura ipſa medicinam facit, & artis ſuæ majeſtatem infinitis miraculis confirmat, quanta beneficia iſtis aquis, putas, debemus? abdito tam ſtupendo naturæ miraculo. Hi omnes ſalutares fontes ex montoſis locis proveniunt, adeo ut vix tales in planis reperies. Præter hæc (ut commode hic quoque dici hoc poteſt) rore quotidiano gratiſſimo & ſaluberrimo conſperguntur & recreantur loca montana præ aliis, dulciſſimum vitaleque ſaccharum de cœlo afferente.

§. VIII. Æſtimato aere & aqua, in ejusmodi ſcrutinio utique & terræ obſervatio neceſſaria eſt, quia ſimbos afficit, atque de indole propria participes facit. Mirum ſane eſt quam multifaria atque diverſa natura atque indoles ſoli & terræ ſit, quod ex odore, colore, conſiſtentia, textura, poroſitate, raritate, craſſitie & ex multis experimentis in deſtilatione aliisque chymiæ proceſſibus ac mechanicis laboribus obviis probari poteſt & in ipſis vegetabilibus, quæ nutrit ſe exerit. Terra vero montoſis in locis, quoniam hi vertices, ſolis radiis ventisque expoſiti ſunt exſiccantibus, imbres percolat, transmittit, atque tantum intra ſe ſucci vice continet eos, utplurimum ſicca, macra, arenoſa, ſaxoſa, ſabuloſa & argilloſa, rariſſime lutoſa & viſcida; nunquam vero humida præter modum eſt. Humiditates enim omnes defluunt & in locis declivibus, humilioribus & planis, bibulis, potius colliguntur. Quinimo differentia vel odore colligi poteſt. Recens enim gleba eruta ex terra montana, odorem ſuavem acidulum, reficientem & confortantem, cujus commendatio magna apud Baglivium in Op. p. 387. & Ferrand. Imperat. Hiſt. Nat. Lib. 18. p. 289. extat, naribus admota ſpirat, de quo etiam Ægyptiaca humus imprimis commendatur. vid. Oribaſius Collect. c. 17. confer. & Baco de Verulamio H. N. cent. X. pag. 954. ex terra vero pinguiori, molliori & uliginoſa, qualis eſt pratenſis atque campeſtris deſumtum fruſtulum terræ, gravem atque adverſum magis redolet odo-

odorem. Nec nebulis ideo craſſis perpetuisque obnubilatur, tegitur atque ſenſibiliter male afficitur.

§. IX. Jam de herbis, plantis, oleribus, fruticibus & arboribus, fructibus omnis generis laudatiſſimis, quos humus montana profert, ſeorſim mentio fiat atque laudatio, præ aliis modo commonefaciendo aerem montanum utpote purum, ſubtilem & vegetum cum ſucco vegetabilium nutritio ex terra ejusmodi quam optimam jam nominavimus, proveniente, adeoque per ſe etiam bono ac bene digeſto, ſe intime miſcere atque inſinuare, ipſique majorem ſubtilitatem atque energiam conciliare eaque magis ſalubria reddere. Conf. modo laudatus Ferrandus Imperatus Hiſt. Nat. Lib. VIII. cap. 12. p. 284. Lev. Lemnius in O. N. M. P. II. Lib. VI. Cap. 19. ut alios taceam, qui de ejusmodi teſtantur. Atque quemadmodum ordinario montoſa loca ſylvarum admodum feracia ſunt, quoniam alimenti copiam habent uberrimam quod ex aquarum ſcaturiginibus, imbrium frequentia, & nivium ubertate ſenſim liqueſcentium atque defluentium, per poros terræ hinc inde adducitur, ita patet imprimis eam non abundare modo, ſed & eſſe prodigam, ut plurimum fruticibus, arboribus gummoſis, reſinoſis, balſamicis, antiſcorbuticis, quales ſunt abies imprimis, fagus, pinus, betula, quæ loca præſertim montana & ſiccas arenoſasque amant terras, quod ſalutare principium nec bruma ſæviens vix poteſt auferre, unde & hyeme illud poſſidentes comam alunt, nec diverſo colore eam mutant, ſed perpetua viriditate ſuperbiunt. Hæ arbores etiam præter ordinario effluvia vernali interdum tempore pulverem ſulphureum, citrinum proficuum fumant, ut pluvia mixtus, pluviam ſulphuream referat, aut terra lutea pluiſſe videatur. De quo alias videndus Krugnerus im Chymiſchen Tannen-Baum. Agricola lib. de Ort. Subterr. Lib. V, p. 552. Clariſſ. J. J. Scheuchzerus Meteorol. & Oryctographia Helvet, p. 14. Hæ cum aliis fruticibus, ſambuco, acacia, junipero, herbis, plantis, fructibus, floribus odoriferis & aromaticis, non modo aſpectu jucundis & optime coloratis, beneque tinctis, graminibusque bene virentibus, (a quorum egregio colore indicium ſalubrioris quoque regionis deſumſit Oribaſius IX. Collect. c. 17.) ſuaviter fra-

grantibus, maximaque penetrantia præditis, angelica, ſerpillo, origano, carvo, hormino, liliis convall., pulegio, polio montano, caryophyllo montano, chamæd. millefol., tanaceto, ſtœch. citrina viola &c. quorum ibi magnus eſt proventus, quam vel Colchidis regiones, Hammonius ſaltus majorem monſtrarent, juxta comam illam lapidibus adhærentem, moſchi & violarum odorem fragrantem referentem, (quales lapides hinc inde montoſis in locis in copia inveniuntur, ut & de Sileſiæ ejusmodi oris nobis conſtat,) ad valetudinem tuendam, ſaltem in ipſo loco natali ſuccreſcentia ac radices figentia proficua vegetabilia ſunt, quoniam effluvia continuo grata, ſuaveolentia, ſalubria, energetica aeri immittunt, atmoſphæramque replent & meliorem reddunt, attenuant &c. atque animalibus, quæ ſpiritibus robur addunt, blandum maſſæ ſanguineæ motum concitant, viſciditatem corrigunt, incidunt, attenuant, ſpiritua ſcentiam promovent, ut ſic in cerebro volatiles particulæ majori in copia poſſint ſecerni. Ob hæc etiam pura & ſuavia effluvia, quæ hauriunt ruriculæ, imprimis ſaniores, vegetiores & longævíores ſunt, iis qui civitates civibus frequentes inhabitant, Confer. Wurdigius de Mod. ſp. C. Hoc nomine præ cæteris Campania, Delphinatus, atque India Orientalis, celebratiſſimæ regiones ſunt. Ob hanc florum fragrantiam ægros ad Tabianum montem ideo commendabilem miſit Galenus vid. I. Method. 12. „Nam dicit: quoniam ſponte per agros naſcun„tur, & agreſtis lotus, bulbus, & hedera, & cythius, aliique „his ſimiles frutices. Hæc vegetabilia omnia montoſis in locis creſcentia ordinario longe præſtantiora ſunt, ut ſcite aſſerit & rationes addendo fuſe explicat multus in hoc argumento diligens & acris rerum naturalium Cenſor J. J. Scheuchzerus in den Natur-Geſchichten des Schweitzer-Landes P. I. p. 64. plantas in Helvetia majores poſſidere vires, iis, in Germania, Italia, Gallia, Belgio, Anglia provenientibus. Hic referatur etiam in locis montoſis, altis, ſiccis, rarius quam in locis planis, humidis, pinguibus tempore imprimis vernali, (quod ut plurimum effluviorum malorum & heterogeneorum eſt ferax,) accedente ſubito ſolari æſtu, frequenter evolvi effluvia putri-

da,

da, rore cauſtico, & vermiculoſo, fruges, herbas, plantas, & arbores inficientia earumque non modo frondes, folia, flores, gemmas, fructus, ſtemmatumque ipſorum fibras & tubulos erodentia, intimius ſe inſinuando, ut marceſcant & pereant, ficiunt, quod vitium rorationem carbunculationem, vermiculationem vocant. Vegetabilia ejusmodi malis tacta ab hominibus animalibusque in cibis aſſumta, tormina ventris atrocia, dyſenteriam, & morbos alios malignos procreant. Taceamus de aliis ſalutaribus montium dotibus, inter quas, non in poſtremis eſt vinorum præſtantia, quæ, quo montes & vineæ in quibus creſcunt vites, altiores, apricæ, ſabuloſæ, ſaxoſæ, aridæ ſunt, eo magis æſtimantur. Nec longius adducamus ea, ad victum quoque pertinentia, & quæ domi ipſis naſcuntur vitæ & ſanitati admodum proficua, & familiaria monticolis opſonia, lac & lacticinia veteribus jam ſanitati conducibilia habita, unde Ovidius Faſt. L. IV. v. 36.

Lacte mero, veteres uſi, memorantur, & herbis
Sponte ſua, ſi quas terra, ferebat, ait.

Succus betulæ & ſerum lactis caprini pro potu fere ordinario ſunt. Sic Valvaſor in Gloria Carniol. P. I. l. 3. p. 254. adducit, in Carniola (regione montoſa) incolas potum ordinarium admodum ſalubrem ex baccis juniperi præparare. Neque denuo recenſeamus eximiam virtutem, quæ ex terris maxime montoſis effodiuntur, ut ſunt lithanthraces, terræ medicamentoſæ, ſigillatæ, &c. De hac ſoli bonitate Helicon, Bœotiæ mons, maxime a Pauſania in Bœoticis laudatur, quod ibi omnia hominibus ſalutifera ſint, ut & ſerpentum virtus infirmetur, atque adeo, ut ſi quem ſerpens momorderit, is ubi aliquod ejusmodi ad id medicamentum nanciſci potuerit, facile periculo liberaretur.

§. X. In ſpecie tamen hic adhuc dicamus, collinis ac montoſis in tractibus omnis generis frumenta provenientia, ſi in granariis ad futurum uſum reponantur ac aſſerventur, non adeo facile ac adeo cito ſitum contrahere corrumpi & excedi a vermibus, atque ſi liquores exinde parentur, eos non adeo citius aceſcere ac ſubtiliorem dare pollinem, ſubtilioremque & leviorem

rem (adeoque digestioni magis conducibilem panem,) iis, quæ in locis planis, declivibus, humidis, paludosis crescunt. Ex qua corruptione salia & sulphura peregrina, caustica, vaporosa, subtilia, volatilia contrahuntur, quæ sua virulentia nocent. Nec ibi facile inveniuntur zizaniæ illæ, quæ subinde inter avenam, hordeum, triticum & secale frumentum nec una saltem specie succrescere solent, & quæ in locis planis & humidis frequentissime succrescunt, & de quibus Scotiæ Sabaudiæque incolæ maxime & præ aliis conqueruntur, ut lolium temulentum a Caspar. Hoffmanno nominatum, & gramen loliaceum a Rajo Hist. Plant. Lib. XXII. descriptum, & secale corniculare nigrum dictum. Arva plana, humilia & humida horum zizaniæ generum proventu adeo infelicia sunt, ut compertum sit, si sementum fecerint agricolæ tempore imbrifero triticum maxima ex parte in ea degenerasse, sed & eadem semina terræ sicciori acclivi, atq; montanæ temporeq; non nimis humido commissa in triticum rediisse. Hæc non modo minuendo frugum proventum ruricolis detestabilia sunt, verum etiam sanitati & vitæ hominum admodum adversa atque nociva, ob sulphur enim quoddam crassum, quod possident, impurum, vaporosum & narcoticum quoque vim narcoticam possident, & venenatæ prorsus, & caustícæ & vaporosæ indolis sunt, ut etiam alia ejusmodi narcotica & virosa vegetabilia hyoscyamum, solanum, furiosum &c. de quibus exempla varia á J. D. Wepfero in hist. cicut. aquat. petantur, quæ manducata cum chylo in succum quoque & sanguinem mutata atque invecta nobilissimas corporis humani partes aggrediuntur ac lædunt, functionesque illarum mire perturbant, pessimaque symtomata inducunt. Ex quorum uberiori miscela, si cum genuino frumento in cibis misceantur aut cerevisias simul & panes ingrediantur, mox ab assumtione nauseam, vomitum, cephalalgias vehementes, vertigines, torpores, tremores, stupores, sopores, temulentiam, (temulentum lolium ideo dictum) & non raro deliria, spasmos, convulsiones, contracturas, colicas passiones, epilepsias, præcordiorum angustias, cardialgias, inquietudines, vigilias, singultus, frigidos sudores, animi deliquia, diarrhœas, dysenterias, externe maculas, & tubercula ardentia aliaque

que prava ſymptomata excitant, quales obſervationes invenies apud Galenum Lib. I. de aliment. Facult. c. 37. in Miſcell. N. C. D. II. A. VIII. obſ. 173. A. III. obſ. 186. & apud Schockium de Cereviſiis c. XIX. Schenckium obſ. 133. J. Wierum de præſt. dæm. Lib. III. c. 18. Theophraſtum Lib. VIII. H. P. c. 5. Præſertim ſemen hujus lolii manducatum viſum lædere & luſcioſos reddere dicitur, hinc ſervus apud Plautum Mil. glor. A. II. Sc. III. alterum ſic cavillatur:

Mirum eſt lolio victitare te tam vili tritico
Quid jam? quia luſcitioſus.

Et Ovidius Lib. I. Faſt. teſtimonium affert his:

Et caveant loliis oculos vitiantibus agri.

Nec ignota ſunt ea proverbia, quibus lolio victitare dicantur, qui aut hebetiori viſu laborant, aut ſocordes, temulenti ac ſomnolenti ſubinde ſunt. Imo obſervatum eſt, quod exinde atque adeo epidemia mala, pericula graviſſima & maligna varia deinceps ſymptomata producta ſint, quales morbi endemii & epidemii quondam Haſſiam univerſam graviter afflixerunt, quos Inclyta Facult. Med. Marpurg. 1597. deſcripſit. Iisdem cauſis a doctis hominibus adſcripti ſunt morbi populariter graſſantes, qui ſuperiori ſeculo Variſcorum tractum, Luſatiam & Miſniam pervagarunt. Confer. Ephem. N. C. Dec. III. A. VI. obſ. 234. & Cent. V. obſ. 82. Atque frumenta jumentaque non poſſint hoc nocivum vegetabile perferre, de quo ridicula hiſtoria ſuccurrit quæ legitur in Eph. G. N. C. D. II. an. 3. Obſv. 186. ibi eam refert Dn. Johann. Jacob. Wagnerus his verbis: In mentem hoc mihi tunc revocabat lepidam hiſtoriam, quam prope Tigurum A. 1342. contigiſſe apud F. Joannem Victoduranum, Minoritam σύγχρονον legi, cujus αὐτόγραφον in Bibliotheca Tigurinorum Civica aſſervatur, quam hunc in modum vapulante licet Priſciano in Hiſtoria ſua recenſet: „In villa quadam „apud Thuregum equus quidam tantum de lolio commedit, quod „a Domino ſuo putatus mortuus extra villam vectus fuit & „excoriatus, qui tantem poſt ſomni conſummationem evigilans,

„domum rediit & Domino & aliis hominibus, eum cernentibus, „ſtuporem incuſſit. Plura qui de iſto lolio infelici legere cupit, legat Diſſert. Clariſſ. D. D. R. J. Camerarii de Lolio temulento inſcriptam Tubingæ. Hinc jam probe monet Galenus lib. I. de alimentor. facult. c. 37. hortaturque eos, qui ſaluti publicæ præſunt & rei frumentariæ provident, atque molitores, piſtoresque ut frumenta prius ejusmodi nociva & deleteria ſedulo ſeligant, cribrisque ſeparent. Quod ſalutiferum conſilium ſit omnibus merito commendatiſſimum. Attamen (ut obiter ſaltem hoc addam) œconomi & hoc ipſum temulentum lolium in ſuum quoque uſum convertere norunt, ſiquidem gallinaceo generi in optimum alimentum venit, & illo molito ac piſto paratur paſta ſaginandis caponibus & gallis Indicis aptiſſima ac idonea, a qua mire impingueſcent, quamvis ab hoc paſtu per totum diem in ſoporem quaſi deducantur. Idem de fungis deleteriis in locis planis declivibus & humidis ſæpius reperiundis coloris nigri miniati punctulisque diverſis coloribus notatis dicendum eſt, qui manducati præcordiorum oppreſſiones, vomitus cardialgias, tormina ventris, diarrhœas, dyſenterias, ſingultus, partium tremores, epilepſiam, convulſiones, frigidos ſudores, animi deliquia, inſaniam ſimiliaque alia graviſſima, maligna & lethalia ſymptomata, imo mortem repentinam inferunt, qualia exempla leguntur apud J. Schenckium in Obſ. Med. Lib. VII. Stalpart van der Wiel Cent. I. obſ 40. Hildan. Cent. IV. obſ. 35. Plinium in Hiſt. Nat. Lib. XXII. cap. 13. Galen lib. II. de med. facult. c. 69. Atque adeo talia peſſima ſymtomata ex ſolo manuum contrectatione ſoloque odore accidiſſe quædam obſervationes teſtantur. Amplius hic ſe occaſio offert dicendi, quod obſervamus rorem vermiculoſum vegetabilibus eſculentis inhærentem, ſæpius in locis planis, humidis & fœcundis, rarius montoſis, aridis ac aſperis inveniri, quæ maligna vermiculoſa propago cum eſculentis aſſumta dyſenterias aliosque morbos malignos producit, præſertim notabile eſt, quod ſi armenta ejusmodi veſcantur, lue longe lateque vulgata intereant atque in ovibus maxime & præſertim in earum hepate copioſi vermiculi reperiantur.

§. XI.

§. XI. Perinde de pecudibus altilibus, feris, & alitibus ulterius se habet, eas in locis montosis optime nutriri ac increscere quod de vaccis helveticis vulgus quoq; noscit. Sic notat Sibbaldus Scot. Illustr. p. 22. scribens: „Observatu dignum, quod in „locis lacui (in Straglash ad locum, dictum Glen Canich, inter „celsissimi montis cacumina sito, qui nunquam est sine glacie,) „proxime adjacentibus semper vireat gramen, quasi perpetuum „ibi ver esset, idemque gramen pecudes una tantum septima„na melius pascat, & pinguiores reddat, quam ullum aliud gra„men id præstare potest. Et apud Medicos in confesso est, illas quæ in pascuis montosis, subaridis, firmis quæ saluberrima pabula, gramina, herbas, & plantas proferunt, nutritas & saturatas, ut robustiores corpore, ita saniores esse, illarumque mactatarum carnes salubriores quam earum quæ in pratis humidis educantur ac saginantur. Ex ejusmodi enim pabulo confectus chylus per omnes vias & vasa facilius distribuitur & relictæ tandem partes uberius per glandulas separantur. Sic in vulgus notissimum est, oves, e. g. enutritas in planis, declivibus, humidis agris & pascuis, non ultra tres annos vivere: Pereunt enim dein ex ulceribus pulmonum & aliorum viscerum, quod & de agris Lipsiensibus nostris a plebe confirmatur. Ex animalibus sanioribus, salubrius quoque lac mulgetur, salubrior caseus paratur, sapidiores non modo, sed & salubriores carnes mactatæ concedunt. Sic Quercetanus Diæt. polyh. S. III. c. 4. p. 430. de vervecibus Galliæ Norbonensis refert, eos in siccis thymi, serpilli & similium odoriferarum herbarum feracibus agris pastos, carnes sapidissimas & saluberrimas præbere. Ast in locis declivibus, planis, humidis, (ut modo est adductum) insalubribus, æducatæ, morbidæ fiunt, & carnes similes, similesque hominibus mactatæ præbent alimentum & putredinem a morbo inductam quæ ordinario sui est multiplicativa inhærentem iisdem corporis succis, qui ad putredinem per se sunt valde proclives quoque affricant. Hoc & indicat Wilhelm. Piso Hist. Nat. & Med. Bras. L. I. dum advertit sequentia: Ex„perientia constat multa quadrupedia pisces & aves in cœno„sis & paludosis locis viventia, non idcirco, adeo in Brasilia at-

„que ejusmodi oris postponenda esse montanis & fluviatilibus, „sicut plerumque fit in septentrionali Europa, quod in hisce re„gionibus calidioribus eximia aeris temperies & serenitas, cor„rectoris vicem quasi subire videatur, circa naturam ejusmodi animalium. Hujus rei exempla passim legas & audias licet. B. Ammannus in Irenico p. 177. revocat animum ad ejusmodi calamitatum memoriam, quæ Convictorio Lipsienſi culpa œconomi acciderunt. Tales quoque Ath. Kircherus notat in scrut. de Peste p. 97. Simile & referunt (ut plura non addam) Eph. N. C. D. I. A. VI. obs. 91.

§. XII. Præter hæc varia hic quoque accedunt, quæ egregium salubritatis momentum ingerunt, & quibus loca montosa propemodum fruuntur unice, ut v. gr. non immerito possumus afferre, quod sc. in his ut plurimum multæ officinæ hinc inde ob commoditatem lignorum sint structæ, in quibus quotidie copiosa & magna vi lignorum, ignes accenduntur, quoniam locorum & regionum etiam vitia, vel ignis vel aquæ beneficio corriguntur: Tales sunt officinæ ferrariæ, vitrariæ, calcariæ, carbonariæ & quibus fornaces diu noctuque pro fossilibus excoquendis, alumine, vitriolo &c. atque linteaminibus candefaciendis, (quibus Silesiæ & Lusatiæ superioris præsertim tractus montani celebrantur) fumant. Atque in his locis, cum frequentiores sint arbores hæ balsamicæ & resinosæ, ita hæ hic in hunc usum vulgo veniunt, quarum ligna concremata, salino-oleosas, sulphureas, volatiles, balsamicas particulas impertiuntur, unde & copiosam fuliginem in caminis colligunt. Nam ignis luculentus per se atmosphæræ quietem, gravitatem & intemperiem alterat, & respiratione in se suscipiendum aerem ventilat & exturbat omnes vapores noxios, humidos, crassos, heterogeneos, putridos, malignos & ipsi communicat partes laudabiles, balsamicas, oleosas, salinas, volatiles, spirituosas, acidas, putridas, figentes ac corrigentes. Poloni in suis domiciliis & casis, tectisque saltem vix cohærentibus, inter pecudes, porcos, super sparsi fimi cumulos, ligna camino undique patulo accendunt, eoque magnaque ex parte sal hoc oleosum volatile pleno ore hauriunt, adeo ut totum spatium spissus & exteris

exteris iter facientibus, moleſtiſſimus repleat fumus & vigoroſiores, longævioresque vivunt, iis, qui ædificia ſpectabilia, & exquiſita calcem fœdam ſpirantia, inhabitant. Perſpectum ſatis eſt, cum vitium aeris omnium optime, vento & igne corrigatur, quantum valeat ignis luculentus & tempore peſtis accenſus in plateis ac ædificiis. Hoc omnium potentiſſimo remedio Hippocrates Athenas peſte liberavit, dum proximam ſylvam cremari juſſit. Non pigebit ad majorem illuſtrationem commemorare quod ad poſteros adhuc commemorabile eſt, ſc. peſte in Venetos anno 1556. magna hominum ſtrage graſſata, inſulam Muranam, duorum ſaltem milliarium ſpatio Venetiis remotam, liberam plane ac intactam manſiſſe, cujus incolæ artem vitrariam tractantes, quotidie in fornacibus ignes accenderunt.

§. XIII. Hæ potiores ſalubritatis ſunt cauſæ, quæ ab aere, aqua & terra deſumuntur. Hinc in hanc ſententiam Hamdollahi Caſſuinenſis in Hiſt. Nat. terræ Iſpahannæ ſalubritatem prædicans, (ut refert & interpretatus eſt Welſchius de ven. med. p. m. 104.) Si in uno loco jungerentur terræ Iſpahannæ & borealis ventus Hæratæ & aqua Chovorezmæ non contingeret homines unquam mori. Aliæ dein circumſtantiæ conſiderandæ veniunt, ut vivendi eſt modus & conſuetudo, quæ montoſis in regionibus, ſanitati integræ & longævitati maxime eſt accommodata, inter durum & molle media, qua a teneris, quod multum eſt, corpora firmant. Frigus atque calorem apud monticolas optime reciprocare dixeris quo contra frigidioris pariter & calidioris aeris injurias, harumque alternationes valdæ ſua corpora firmant morbisque exinde provenientibus non adeo facile obnoxia ſibi parant. Videbis hinc interdum vel media hyeme, parvulos pueros induſiis ſaltem indutos, cœterum nudos, in nive ambulantes atque ludentes, & non raro in torrentibus lavantes, neque ullam noxam in iis deprehendes, a perſpiratione inſenſibili impedita, inductam, catharros & ſimiles affectus procreantem. Videbis rurſus monticolus per totam etiam æſtatem ac fervente Sirio flammeum in hypocauſtis fervorem optime ſuſtinere, in quæ hyemali tem-

pore congelati mox irruunt & vice versa. Victus ut plurimum simplex est, adeoque magis salubris, & frigida magis quam calida potus genera placent. Nec etiam contemnendum emolumentum, quod ex sola locorum montosorum contemplatione perpetuo mens capit & ea recreatur, corpori quoque deinde profuturum. Certe enim ad gratiam conspectus, decorem, pulchritudinem & elegantiam conferunt montes. Pergama non tristia incolunt monticolæ. Tristis locorum facies animum contristat, deprimit, languidum reddit, unde quidam in Hispania (ob tristem faciem, horridum aspectum, tristes cogitationes & mundum spernentes inspirantem, vitæque tædium, desideriumque mortis) mori, ut nasci in Italia (ob aeris salubritatem) in Gallia (ob lætam amœnamque ejus faciem) vivere sibi obtaverunt. Nam mira hic undique locorum amœnitas est, quæ & Thessalica Tempe, Thermopylas, & Taurum constituunt. Mirum etiam est, quantopere amœnus prospectus, qui circa montes & loca excelsa optimus est, quæ supra alia omnia eminent, ut ferri oculi in longum latumque possint, oculos, mentes ingenuas & sapientiæ studiosas oblectet, recreet & excitet, terrestris hujus paradisi spectacula corporis animique oculis contemplantium. Hæc mentis recreatio corpori quoque benefacere potest, dareque sanitatem, vigorem ac vitam. Est enim ea in corpus animi vis, ut animalium spirituum motum alteret potentissime, qui cordis & arteriarum motus, atque solidarum partium tonum alterant, pro quarum habitudine se sanitas habet. Ibi enim ut plurimum rident omnia, varietas amœna quæ delectat, & varia ibi amœnitas & hilaritas sese offert oculis mentique immo ingerit sese ac admirandæ raræ, multifariæ rerum species videntur undique. Est autem cum omnium rerum vicissitudo & varietas, tum vel maxime sensibilium jucunda. Circumjacentium regionum deliciæ, suavissima quadam jucunditate vel invitos invitant, ac spectatores morantur. Quis non lætis & hiantibus oculis videat hæc omnia? Quis non summam hic voluptatem ponat? Quis enim sensuum hic sua non fruitur voluptate? Spectantur enim tot uno pene adspectu terrarum tractus etiam dissiti, si visum dispergere velis, ac oculorum intendere

tendere aciem, infraque ſupraque quaſi in theatro longe lateque omnia perſpicere & circumſpicere licet. Spectantur undique montium eminentium moles, & vertices atque faſtigia, quæ hic recto inſurgunt dorſo, illic veluti ſinu quodam flexuque vario curvata, in diverſas cavitates dividuntur, quæ in circumjecta loca quantamcunque accepere vocem, multiplicato ſono referunt. Spectantur aprici & jucundiſſimi colles, ſpectantur valles amabiliſſimæ, pratenſibus aquis lucentes. Monſtrant ſeſe inacceſſa montium præcipitia, illic arduæ rupes, hic ſcopuli prærupti, velut ex induſtria pendentes. Inter hos ſe produnt ſpeluncarum mirabilia atria excavata, quæ operoſa hominum induſtria exſtructa eſſe, ut domicilia præbeant, videantur. Elucent his interſtinctæ ſuaves planities, virentes, denſæ & opacæ ſylvæ proceris & frondentibus arboribus frequentes, nemora umbrifera, facta quaſi ad ambulationum voluptatem & grato diverſarum avium oſcinum cantu reſonantia. Paſcit oculos tam varia viriditas pene in diverſos colores diſtributa. Propinqua virore nitent; remotiore velut cœrulea incumbentis cœli facies opacat. Arrident fluctuantes & germinantes ſegetes fragrantibus herbis florida, & nitentia prata & paſcua læta, quæ denſi greges inerrant. Viſuntur campi amœniſſimi; viſuntur hic fontes ex fornicibus ſuis ſenſim & blande profluentes. Illic ſalientes, & cum pleno multoque agmine erumpentes, ibi confluentes, lacus, ſtagna, rivuli atque torrentes ſuavi cum ſtrepitu per ambages interfluentes, flumina integra, qui curſum ſuum circumflexum in proximos campos derivant, eosque rigant, conſpectui patent. Viſuntur oppida, pagi, arces, hæ interdum vetuſtate memerabiles, hæ novitate ſeſe oſtentantes ſplendidæ, &c. Atque adeo uno proſpectu uno eodemque loco, uno eodemque tempore ſingula anni tempora & videbis & ſenties. Summa montium dorſa media etiam in æſtate nive glacieque contecta ſplendent, & frigidi venti conſtringunt, nivesque magno ſæpe cumulo cadunt, infra hanc regionem ver cum herbis plantisque vernalibus floribusque ornatis habebis, in vallibus tandem fruges matureſcentes jam conſpicere licet. Hoc intuitu loca montana totius

univerſi

universi compendium haud inconvenienter dixeris in quibus summus Rerum opifex in cumulum quasi congessit, quod alias per longos terræ tractus distribuit. Quare nihil pulchrius nihilque acceptius montosis locis effinxisse Alma Natura videtur. Quæ delitiæ advenas ita titillant, ut, quo accedunt sæpius, eo recedant illibentius, & spectando diu expleri vix possint. Quod ad ambulationes per loca montosa attinet, licet laboriosæ interdum magis sint iis, quæ in planitiebus instituuntur, sanitati tamen conveniunt magis, quia ascendendo plus excercentur, tolluntur & tenduntur musculi, omnes, fibræ, nervi, viscera, omnesque partes, & circulatio humorum & spirituum animalium influxus melius fortiusque instituitur. Atque descendendo dein magis placent, quæ sine labore & fatigatione fiunt, & sic ascendentes descendentesque alternatim exercentur, & hic musculi etiam adscendendo excernentur & laborant alii quiescunt & feriantur; siquidem adhuc Aristoteles in Problem. scribit: „Ambulantes per inæqualia loca minus defatigari, quam „per æqualia. Meretur legi de hoc J. A. Borellus de mot. anim. P. I. Probl. 160. p. 193. seqq. Hinc & ii qui montes altos sæpius ascendunt descenduntque exemplo eorum, qui alpina itinera faciunt, præ aliis robusti ac vegeti sunt.

§. XIV. Hæc omnia fide ipsorum eventorum ubique comprobantur, & experientia testis & vindex est. In aere montano versantes bene dormiunt, bene appetunt, bene digerunt, beneque egerunt. Non equidem per diffiationem & transpirationem, sed per diuresin magis (quæ egestio certo modo ea præstantior est) atque alvum expurgantur, aer enim calidus subtilis humidus in venis ac humoribus corporum contentus expansus ab externo, frigido, graviori incumbente in sua expansione alteratur, quo contrario in se invicem nisu motuque eoque plus minusve propemodum æquali (pro altitudinine nimirum montium levitas ac subtilitas aeris se habet) circuitus humorum promovetur transpiratio vero per poros cutis ex parte inhibetur spiritus animales subtilissimique halitus retinentur intus, sicque vires corporis conservantur integræ. Hæc aeris extensio experimento illo declaratur atque probatur quando

do vesica suilla aut bubula in valle non remissius inflata atque filo constricta ad summum altorum montium cacumen portatur, vesica ad majorem extensionem inflatur. Per quam mature adolescunt, senescunt rarde, canities & calvities rara est, & viridis senectus non aliter se habet ac si fervor Juvenilis algore senectutis repressus, temperatior efficeretur, (ut verbis Wilh. Pisonis Hist. nat. & med. Brasil. l. 1. utar,) Inter monticolas ubique fere conspicies tanto in numero longævos, ut territorium Macrobiorum montes dici mereantur. Iidem præterea ordinario sunt sani, alacres, vegeti, robusti, qui quasvis cœli injurias secure contemnunt ac perferunt, proceri statura, habitiores, pulchri, florida, vivida, ac bene colorata & nitida facie, candida cute atque capillis conspicui, succulenti minus tamen pinguedine superflua farti, atque artubus lacertosis, carne firma, compactiori, vasis amplioribus, verbo, laudabili temperamento sanguineo, aut sanguineo cholerico ut plurimum, & concinna, & eleganti corporis forma, membrorum conformatione atque compositione præditi. Rarissime inter eos deformatos, claudos, strabones, luscioſos, gibbosos offendes. Pulchre de hac re Palladius loquitur Lib. I. tit. 3. inquiens: „Qui optimum „aerem inspirant, colore sunt bono, firma illis capitis sinceritas, „inoffensum lumen oculorum, purus auditus ac fauces com„meatum liquidæ vocis exercent. Et rursus; Somnos ibi ca„pies svaviores, & animum a visis insomniis nequaquam per„turbari contingit. Quin immo autores hanc præstantiam, non „modo in hominibus, sed & in brutis advertunt, quorum ca„tuli & pulli meliores, præstantioresque habentur, quam in aliis „regionibus nati, minus salubribus. Atque hinc compertum habetur, loca montosa rarissime aut nunquam morbis contagiosis, putridis malignis, peste, tangi, immo valetudinarios & morbis chronicis pertinacissimis detentos, & quos alia remedia in integrum restituere vix possunt, ad hæc perlatos brevi convalescere, & præstare loca montana certissimum asylum languentium: Hectici, phthisici, hydropici, hypochondriaci, scorbutici, aliique viscerum debilitate laborantes, hic imprimis sunt nominandi. Sic urbis Romæ quondam incolæ rheumatismis perpetuo vexati & pulmonum ulceribus correpti, ad loca editi-

ora mittebnatur. vid. Galenus lib. V. Meth. c. 12. Ita advenæ qui in Hiſpaniola Americæ Inſula atque vicinis morbo endemio ab aere loci maritimo & non adſveto corripiuntur, hoc uno medio ac remedio ſanitati reſtituuntur ſi per menſem circiter unum & dimidium alterumque montes adeant. Huic aeris ſalubritati Helvetii adſcribunt, quod ad loca remota profecti noſtalgia & febribus periculoſiſſimis afficiantur. vid. Clariſſimus Scheuchzerus Helvet. Hiſt. Nat. P. I. p. 12. & in den Natur-Geſchichten des Schweitzerlandes. P. I. pag. 57. Atque hæc ex multis adhuc Authorum, qui de montibus illorumque incolatu præclare ſentiunt, obſervationibus & teſtimoniis ſunt comperta. Hinc etiam incolatus montanus veteribus jam fuit commendatiſſimus. Hinc & ſpeciatim Oribaſius IX. Collect. c. 11. Sublimia loca omnibus thoracis affectibus & tenuiorem ibi aerem, capite laborantibus & omnium ſenſuum inſtrumentis accommodata eſſe; Humilia vero ante dictis haud idonea eſſe dixit. Coincidit fere Aetius qui in Lib. III. c. 163. hæc verba profert: „Aer ille qui in montoſis altisque regionibus „eſt, & nullam auram ſuſcipit, commendandus eſt erecta cer„vice ſpirantibus, & tabidis & omnibus thoracis & capitis affectibus &c. Apennini montes a ſalubritate incolarum & longævitate ubique celebratiſſimi ſunt, ac valde memorabiles. Compertum quoque habemus, altas & montoſas in Germania noſtra, ipſiq; propinquas regiones ut Saxoniæ, metalliferas dictas, Variſcorum, Bohemiæ, Sileſiæ, Luſatiæ, Helvetiæ, Rhetiæ &c. ſaluberrimo aere gaudere atq; alere incolas ſanos atque longævos. Bruſchius ſcribit univerſam regionem elatam circa montem piniferum quatuor flumina Mœnum nimirum, Nabum, Egram & Salam effundentem in finibus Palatinatus ſuperioris & Bohemiæ ſitum (Fichtelberg) & Weiſſenſtadium ideo ſaluberrimam totius Germaniæ eſſe quod & Maximil. I. Glorioſiſ. Mem. Rom. Imp. affirmaſſe fertur. Ægyptus ideo ob poſitum quem obtinet in Orbe Terrarum altum, ſaluberrima regio ſemper eſt habita, de qua Plato dicit in Timæo, quod nunquam diluvium, quod olim reliquum orbem inundavit, ſit experta. E contrario Belgium, Arcadia, Syria &c. humiles regiones, ob aerem parum ſalubrem ſuſpe-

ctæ

ctæ non immerito & variis morbis subjectæ redduntur. Ita satis superque constat observantibus, in demissis & conclusis, humidis locis sive mari propinqua sive ab eo longissime remota sint ea, præsertim regnare scorbutum & phthisin, hydropes, febres purpuratas, malignas &c. Idem & alibi Plato retulit, se in altissimis regionibus inveniisse valde longævos qua de re de Leg. Lib. IV. urbes totas in locis sublimibus & in circulum constitui voluit, ut munitiores & mundiores fiant Avicenna XXI. Dec. 2. c. 2. & caut. I. Num. 105. alta loca certa ratione semper esse frigidiora & magis salubria ibique diutius homines vivere ac laborum patientissimos esse dixit, ac Aristoteles ait 14. Probl. 7. qui alta loca apertaque incolunt, tardius senescunt, qui cava & palustria ocyus. Similiter Oribasius IX. Collect. cap. 2. montana loca ob siccitatem maxime salubria deprædicat. Plin. Lib. VII. c. 48. a Mutiano gravissimo Authore acceptum, recenset, in Tmoli Lydiæ montis cacumine quod Tempsin vocant, incolas 150. annos ordinario vivere. Erasmus Franciscі im auslændischen Kunst-und Sitten-Spiegel, scribit: Quod Athos celeberrimus ille inter Macedoniam Thraciamque mons, incolas alet sanos, vegetos ac valde logævos. v Baquiere sen. Med. p. 22, Extat etiam hanc in rem perelegans locus apud Johan. Baptistam Donium in Lib. de restit. salubr. agri romani, dum ait: „Illud perquam dignum notatu est, ea maxime loca tem„peratissimo aere frui ac longævos homines progignere, quæ „elata quidem ac sublimia, sed non præaltis ac perfrigidis mon„tibus edita, verum quæ longiori terrarum fastigio latenter as„surgunt, ut in multarum regionum mediis & a mari procul „recedentibus spatiis, quorum altitudinem flumina illinc in „diversum dilabentia ostendunt ut in Umbriæ tractu circa Spo„letum, ubi Apennini juga modice attolluntur. Ibi enim, si „uspiam in Italia vivacissimi homines reperiuntur. Pulchre etiam montium salubritatem demonstrando prædicat Joh. Bapt. von Helmont Tract. mons Domini p. m. 743. sequentibus: „Naturaliter, intelligo, in montibus malignitate endemia ca„rentibus, esse aerem purissimum, procul a fæce & corruptione „remotum, ab erroribus, & defectibus segregatum, & propter

„frigora depuratiſſimum ab omni inquinamento; verum etiam „ibidem eſſe locum, quorſum per magnalis continuationem, ex„peditiſſima cœleſtium irradiatio eſt; Quia ætheris puriſſimi „potatio. Memini enim, uno mane me jejunum ſenſiſſe in „Alpibus ſvavitatem inſpirati aeris, quam ante vel poſt, tota „vita nunquam. Certum eſt etenim, quod Omnipotens tan„tum gippum in natura non fruſtra condiderit, certumque eſt, „omnes mundi divitias e montibus erui. Deinde optimi fontes „atque celeberrima flumina nobis e montibus, ratione declivita„tis verſantur. Denique omnes nationes monticolæ durioris „ſunt corporis, vitæque vegetioris, aliis, qui campos amœnos „colunt. Qui effectus ſuis cauſis conſtant, quippe ſvavior pu„riorque aer ibi inſpiratur, & Gas omne ſuis privatum ſordibus, „redit in materiam puram aquæ.

§. XV. Atque adeo etiam eædem memoratæ conditiones, aer imprimis, animos hominum mire afficiunt, alterant, commutant, atque faciunt ad mores, qui temperamenta hominum ut hæc illos ſequuntur. Quo nomine Galenus maxime laudandus, quod nempe animam multorum morborum cauſam ſtatuerit, quando paſſionibus vehementioribus commovetur, & quod temperamenta ad peculiares mores & inclinationes diſponant, in qua doctrina multum atque diligentiſſimum ſe præſtitit cenſorem, quam ab Hippocrate accepit, qui L. I. de Diæt. ſect. 32. aeris regimine homines ſapientiores & ingenioſiores reddi poſſe, teſtatus eſt, unde & Lib. de flat. ſect. 20. §. 3. prudentiam in ſanguine conſiſtere, ſcitiſſime opinatus eſt. Quales enim aër, ex ſoli conditione varie temperati qualitas, aqua, cibus & potus, quæ cum ore naribusque adtrahuntur & aſſumuntur ſanguinique miſcentur, tales etiam ſunt humores & ſpiritus animales & quales hi, tales etiam animi inclinationes. Purus, ſerenus, temperatus bene & tenuis aer, ventis orientalibus & ſeptentrionalibus alteratus, vernalis, tenuis cibus & potus, tenues etiam & volatiliores dant humores & ſpiritus, qui ad mentis regimen convenientiſſimi ſunt atque accommodatiſſimi, & homines ideo ſunt ingenioſi, acres, expediti in omnibus ſuis actionibus &c. Atque vice verſa argumentatio valet.

let. Cœlo humido, putrido, caliginoſo, nebuloſo, impuro, tonus partium laxatur, libera tranſpiratio inhibetur, particulæ craſſæ, impuræ, excernendæ, remanent in maſſa humorum, unde ea impura redditur, ſecretiones & excretiones ſufflaminantur, ſecreta conſpurcantur, craſis humorum & ſpirituum obnubilatur &c, Victuque pariter craſſo, fœculento, ſimiles quoque humores & ſpiritus generantur, & exinde homines torpidiores, ſtupidiores & tardiores redduntur. Hinc veteres quondam, communi velut conſenſu Aſiaticos facilitate morum & humanitate cœteros ſuperare, contendebant, atque hinc atticam, ægyptiacam, arabicam, ſyriacam tellurem adeo feracem felicemque fuiſſe tantis multisque egregiis ingeniis, Sapientibus, Doctoribus, Heroibus producendis atque alendis. In hanc rem Meurſius tradit de Fort. Athen. C. III. p. m. 22. Supra urbem Athenas aerem purum tenuemque & ſalubrem, unde ingenia ibi etiam acutiora fuiſſe. Locridem & Crotonem etiam ſaluberrima loca olim eo argumento ſunt habita, quod brevi temporis ſpatio, quam plurimos produxerint tum Athletas, tum Philoſophos. E contrario rurſus aëri humidiori, putrido, craſſo adſcribitur, quod Arcadiæ, Bœotiæ regionisque Thebanæ incolæ adeo male eo intuitu audiant, & quod hodie Galliæ Provinciæ Lemovicenſis, Hiſpaniæ Biſcajæ & Germaniæ Tyrolis, Carinthiæ ſuperioris, Styriæ incolæ, de quibus vide Gerbezium in Chronolog. Med. I. pag. 23. &c. hanc cenſuram incurrant. Omnes inſulani mali jam dudum & qui magnos fluvios & mare accolunt, mercaturæ dediti, ſed ab avaritia, mendaciis, fallaciisque non abhorrentes, habebantur. Unde notanter Plato Lib. 4. de Leg. civitatem a mari LXXX. ſtadiis diſtare voluit. Romam ideo olim Reginam Orbis Terrarum fuiſſe, & forti animo, prudentique conſilio Barbarorum horrida ingenia ſuperaſſe, quod in egregia regione exſtructa ſit, Vitruvius L. VI. Architect. C. I. affirmare non dubitavit. Neque P. Petit. Diſp. de Amaz. Amazonum ſolertem fortemque animum climati, quod inhabitaverunt, adſcribendum eſſe, ambiguum habet. Ob hanc rationem & in ſpecie ob eam, quæ victum reſpicit, Galli, qui victu faciliori, leviori juſculis nutrientibus, potu dilutiori, aqua

& vino utuntur, susque deque habent Germanos eosque eo nomine les esprits de bierre, (ob crassum & fœculentum potus genus) appellant, ut & in hos satis iniqui censores sunt Joh. Bodinus, Joseph. Scaliger, Perronius Cardinal. Dominicus Bauhours aliique exterorum plures. Adrianus Baillet Germanos ad eruditionem non nisi per immensos labores pertinacemque patientiam posse pervenire, in Jugem. des savans, scribit; contra quos tamen ex dignitate sunt defensi a Morhofio, Schurtzfleischio, Cramero, Richey aliisque hic non recensendis. At homines, qui montana alta, excelsa, aspera, sicca inhabitant loca, ingenio gaudent diverso illorum, qui loca plana incolunt, atque præ omnibus aliis animo valentissimi sunt, integritate mentis atque candore, acuto ingenio, animoque forti & bellicoso, ad labores alacri, ad artes proclivi &c. præditi, quod existimo jam multis per multa loca indiciis & exemplis esse compertum. De iis hoc jam Hippocrates testatus est Lib. de aëre, aquis & loc. text. 58. Tale testimonium & legitur apud Fidelem de Rel. Med. L. I. cap. 13. p. 68. „Illud etiam satis constat, in montosis atque asperis regionibus plebem ac secundæ sortis homines plurimum inter alios posse, ac prævalere: nec nobilibus „primatibusque facile cedere: plus enim in his valere corporis „vires, quibus vulgares præstant: in planis vero Magnates sunt „potiores, ac magis dominantur: Nam aptior is est imperandi „locus. Præterea, qui aspera incolunt loca & quæ nihil ferunt „nisi multa cultura & magno labore quæsitum, quales Ligures „a Cicerone (in Lege agraria, in princip.) memorantur, duri atque agrestes sunt. At qui agrorum bonitate, & fructuum „magnitudine urbis aut salubritate & rerum copia perfruuntur, „ut de Campanis idem affirmat, semper superbi sunt atque arrogantes &c.

§. XVI. Enim vero, ut omnem pene alias felicitatem quædam flagellat calamitas & ubique fere quædam quasi mellis & fellis conjugatio est: Ita vulgo etiam montium incolatui ponitur in vitio, accolas non modo sæpius tempestatum varietates subitaneas, atque in uno sæpius die, mox excessivum æstum, mox intolerabile frigus experiri, quibus repentinis vicissitudinibus

bus aer Conſtantinopolitanus imprimis etiam eſt ſubjectus, ut habet P. Della Valle Itiner. Part. I. Pag. 22. ſed & frigidiorem & acrem moleſtumque Jovem nives copioſas ſæpiusque æſtivas atque pruinas non bene ferendas pati, a quo frigore conſtrictivo partes nervoſæ membranaceæ notabiliter lædantur, tranſpiratio impediatur, humorum impetus & copia ad caput, pectus, artus, & partes extremas pellatur, unde rebelles fiant ſtagnationes, humorum & vaſorum obſtructiones, periculoſæ cephalalgiæ, apoplexiæ, pleuritides, peripneumoniæ, vertigines, affectus ſoporoſi, paralyſes, oculorum lippitudines, rubedines, obfuſcationes, tuſſes, rheumatiſmi & fluxiones, arthritides, dolores acuti &c. Ulterius quidem, contendunt hæc loca effluviis acrioribus, ſalinis, ſulphureis, impuris, acidis, venenatis, malignis ſæpius afflari, quæ ex mineralibus effluunt, & circa montes aſcendunt, gramina etiam depaſcentibus. Quæ exhalationes, interdum referente Bechero in Phyſicæ ſubterr. p. 71. per aliquot milliaria pertingunt. Denique aſſerunt, ut plurimum loca montoſa radiis ſolaribus nimis eſſe expoſita, qui ſua præſentia, reflexione ac effluviorum terræ ſicciorum elevatione moleſtiam creent, monticolasque aquas bibere minus ſanas conſtringentes, ex quibus ſcrophulis fœdis notentur. In hujus rei exemplum atque probationem montium Pyrenæorum, Alpium, accolas, Styriam, Carinthiam, montanas Hungariæ, civitates, imprimis Cremnitium, metalli fodinis celebratiſſimum, & Sileſiæ Schmidebergam, oppida circumjacentesque varios pagos ad ipſorum montium ſudetorum radices ſitos inhabitantes recitant, qui exinde his aliisque morbis afficerentur.

§. XVII. Equidem etſi concedamus, quod in locis montanis aer frigidior ſit campeſtribus, ubi cuncta gelu rigent canaque nive, glacie grandineque teguntur; frigus tamen hoc ſiccum eſt purum, quod hic adeo non nocet, ſi modo non improvide admittatur, & veſtibus ſint homines bene & debite contra illud muniti ac tecti, ut potius proſit & conferat ad ſanitatem, agilitatem, mentis & corporis, ac longævitatem, quia calorem, ſpiritus animales, vires ne diffluentur, poros opſtipando cohibet, ſed intus potius detinet, conſervat & auget, corruptio-

ruptionem atque putredinem avertit excrementitiorum humorum accretionem inhibet, viſcerum ſecretiones promovet, corpora reddit mobiliora, expeditiora, elaterem fibrarum, fluida impellentem, roborat, tonum & robur partium præſtando. Quivis enim in ſe ipſo percipit, tempore hyemali, aere exiſtente frigido & ſicco, corpus & animum eſſe alacrem ad quasvis functiones obeundas & perficiendas aptiſſimum. Quare factum eſt, ut incolas ſeptentrionales præ aliis feliciores & beatiores dicere neceſſe habuerit Goclen. de Vita prorog. p. 20. Inſuper nives æſtivæ æſtum æſtivum temperant commode, adeo hæc mira cœli inclementia indulgentiſſimæ Naturæ lenientis beneficio liberaliter penſatur. Terræ pori magis conſtringuntur, & effluvia craſſiora, humida, impura avertuntur & detinentur. Hoc nomine Orcades Inſulæ etiam memorabiles ſunt. Polydorus Lib. I. & H. Boeth. in Scotia. Jam dudum Hippocrates prædicavit Lib. de aere, aquis & loc. incolas regionum, quos venti frigidi & ſicci afflant, diuturnioris vitæ quam alios eſſe. Notiſſimum quoque eſt ſeptentrionales populos Suecos &c. eſſe præ aliis robuſtos, ſtatura proceros, ſanos atque longævos, fœminasque in ſpecie admodum fœcundas (haud leve aeris ſalubris indicium.) De iis enim Olaus Rudbeckius in Atlantica refert: in Suecia tantam hominum eſſe fertilitatem, ut fœminæ ordinario VIII. IX. X. XII. imo XIV. nec raro XIIX. XX. XXIV. XXIX. & XXX. pariant infantes, atque vivere homines ordinario LXX. LXXX. annos, nec inſoliti quid eſſe, illic videre homines C. & plurium annorum. Hanc fœminarum fœcunditatem inter indicia ſalubris aeris quoque reponit W. Piſo Hiſt. Nat. & Med. Braſil Lib. I. Sic enim ſcribit, Braſiliæ aerem laudans: „Fœminæ non deformes ab octennio ultra ſexageſi„mum annum ſupra fidem fœcundæ, immo ſeptuagenariæ in„fantes lactantes viſæ ſunt, facili negotio & nemini obſtetri„cante pariunt, rariſſime abortientes. Nec rurſum pruinæ loca montana adeo offendunt, potius rore quotidiano eoque miti, pingui, tenui, ſale ſubtili, volatili, nitroſo, imprægnato, inſigni roborante virtute prædito, humectantur & recreantur, quod ſaccharum utiliſſimum & occultum, optimumque vitæ cibum,

oibum, & naturæ humanæ gratiſſimum ex Helmontii ſententia Tr. imag. ferm. pag. 33. continet. Largi imbres, frequentes, felices & tempeſtive decidentes & extemporaneos & novos torrentes facientes, ibi atmoſphæram, ſi quid cauſtici effluviis forte inſit, depurant & corrigunt optime. De iis enim ex hiſtoriis conſtat, peſtilentiam frequentem in Ægypto ceſſare protinus, in media æſtate imbribus nimirum aſſiduis decidentibus, a quibus ideo & notanter ſalubritatem Braſiliæ deprædicat, quod ea multis imbribus irrigetur, ſupra multoties laudatus Wilhelmus Piſo Hiſt. Nat. & Med. Videntur & videantur etiam ſæpius circa montes forte editiores nebulæ, quod inter alios Sileſii de monte Giganteo ſuo norunt; nihil tamen & hoc impedit, quo minus hactenus affirmatum teneamus, quod vel hoc ipſum aeris levitatis indicium ſit, ſiquidem effluvia minus a premente aere impediuntur. Ipſæ enim rariores ſunt & tenuiores, nec diutius ibi hærent, ſed exoriente operanteque ſole, brevi iterum ſolvuntur, diſcutiuntur ac abeunt. Altiſſimi rurſus montes neque ventos neque pluviam experiuntur, quemadmodum Athos ingens Thraciæ mons, de quo Pomponius Mela tradidit, in aris, in ejus vertice exſtructis, cinerem in eodem cumulo ſemper manere. Sennerto item facile annuere poſſumus, Inſtit. Med. L. IV. P. I. c. 2. ſcribenti: „Loca metallica veneno„ſam ſæpe & malignam auram exſpirant, & de acrioribus & „cauſticis, quæ ſæpe ſpargunt, effluviis, quæ arſenicalia, ſatur„nina, & mercurialia vocant, participant. Item pari aſſeveratione affirmamus, ob hæc accolas, varia mala variosque caſus, vertigines, colicam eamque convulſivam, cordis palpitationes, luridum faciei colorem, lipothymias, phthiſin, tremores & dolores artuum vitæque brevitatem experiri: Verum enim vero non de omnibus incolis atque accolis, ſed de iis maxime, qui ipſos metallarios labores tractant, aut qui circa has officinas habitant, non de omnibus ejusmodi locis, neque de omnibus temporibus, neque de omnibus effluviis metallicis hoc intelligendum eſt. Nam ſi eadem blanda ſint, temperata, acidula, adeo non nocent, ut potius proſint, quippe ſpirituoſæ & acidulæ particulæ volatilitatem atmoſphæræ augent & putredi-

tredinem præcavent, ex quo magnum salubritatis aeri momentum accedit. Nolumus equidem seorsim & longius hic probare atque laudare effluvia aurea atque argentea, ob quæ multi ejusmodi loca horumque locorum atmosphæram iisdem refertam ratione salubritatis adeo extollunt, ut constat atmosphæram tractus montium Sudetorum, Bohemiam inter atque Silesiam, Carbaticorum, Alpinorum, Pyrenæorum item Piniferi ideo laudari, ac si tota eorum aurea atque argentea esset, atque ubi naturale aurum & argentum potabile quasi gratis haurire quis posset. Qui velit, legat die Beschreibung des Fichtel-Berges p. 134. seqq. Hinc ad fertilitatem vegetabilium faciunt eadem, siquidem, ut perspectum est, illa loca pulcherrimos producunt fructus & cito matureſcentes, plantas, herbas & flores balsamicos. Atque compertum est, ab ejusmodi exhalationibus obduci superficiem terræ, calce quadam subtili, quæ pluvia accedente, leniter incalescit; quæ incalescentia terræ fœcunditatem & atmosphæræ salubritatem majorem fœneratur. Hoc argumentum exponit Basilius Valentinus Lib. de metalli fod. & ear. orig. C. V. & VII. non indiligens harum rerum censor, qui in Cap. XXIII. rationem causamque repetit, quamobrem Hungariæ regio tota metallifera, frugum omnium fertilissima, & (alioquin si cætera essent paria, si paludes quibus ea admodum frequens est non adversarentur &c.) sit saluberrima. Porro cum non desint, qui perhibent, loca montana maxime tempestatum variationibus esse obnoxia, quia Hippocrates dixit: Mutationes temporum parere morbos, & in ipsis temporibus magnas mutationes aut frigoris aut caloris esse. Tempestatum vero æqualitates magis experiri regiones planas atque campestres, quam ob rem loca sub Æquatore sita atque vicina, adeo salubria deprædicant plurimi, (merito ne an secus, jam quidem non dirimemus. Ast ea tantum loca sunt ideo suspecta, quæ circumpositos certo modo habent alios montes, & quæ palustria simul sunt, in quibus circa meridiem calidior aer est, circa vesperam & per totam noctem frigidior imprimis autumno, quam ob rem Hungaria imprimis accusatur. Fulgura etiam atque tonitrua, quæ montanis

tanis in locis crebriora, quia ut metallorum ita & ſulphuris quoque venæ ſunt ibi frequentiores & cum magno fragore incidunt, corruſcant ac intonant &c. Monticolæ vehementius adeo non metuunt, ſed potius atmoſphæram depuratam ſalubribusque particulis ſubtilibus nitroſis & ſulphureis impregnatam exinde ſibi certiſſime promittunt, ſiquidem & ordinario fere imbres ſalutares hominibus pariter ac vegetabilibus admodum proficuos fertilesque ſimul effunduntur. Nec alia ejusmodi meteora lucida hic etiam ſatisfrequentia ob eandem rationem a vana ſuperſtitione Intactis ſunt ſuſpecta ut dracones volantes dicta & ſtellæ cadentes, quæ materiam gelatinoſam, quæ cœli flos appellatur & in pratis, agris aliisque locis mane ante Solis ortum adhuc reperibilis eſt, exoriente enim ſole liqueſcit, ex qua medicinam magnarum Virium quidam parare ſolent. vid. Eph. G. N. C. An. VI. App. Borell. Cent. III. obſ. 4. Paracelſus de vita longa Lib. IV. c. 2. & 8. item de Signat. rer. nat. I. 9.

§. XVIII. Ambabus licet tandem largiamur, experientia edocente, monticolas quosdam aut quandoque apoplexiis peripneumoniis, quas & alias aeri arenoſo adſcribunt, unde & in Nova Hiſpania, imprimis in urbe Mexicana frequentiſſimas eas eſſe referunt, vid. Gottfried Hiſt. Antiqv. P. III. p. 608. & præ aliis eſſe obnoxios; Quod vero maxime ſaltem de illis eſt intelligendum, qui circa metalli fodinas habitant, aut potius ejusmodi labores tractant, (metallarii enim præſertim iis laborant) metalla & lithargyrium imprimis fundendo & fumos ſaturninos, antimoniales, mercuriales, vitriolicos, aluminoſos, arſenicales & malignos improvide excipiunt. Quanquam non negandum eſt, ipſorum tractuum montoſorum conditionem, quandoque ad hæc mala aliquid contribuere, ſi nimirum ita ſunt comparati, ut radios ſolis frequentes nimis reflectant, quibus ſi ibi degentes caput nudum præſertim diutius exponant, facile hoc periculum incurrere poſſent; nec abs re eſt, hæc iis facile accidere, qui auræ frigidiori, qualis magis montana eſt, corpus calefactum, imprimis labore & exercitiis, incaute exponunt. Ad utrumque accedit, quod ut plurimum monticolæ ſanguinei & plethorici ſunt, qui ſtatus humorum ad ejusmodi fere eſt pro-

15-148

clivis. Sed contra hos casus facile datur præsidium, modo indicata prævideantur. Strumæ & scrophulæ colli potissimum adscribuntur aquæ, quæ ex certis rivulis promanat, a cujus potu si abstineant non facile a reliquis causis metuenda est noxa, quod mihi notum exploratumque de Patria est; in iis nimirum locis, quorum supra modo mentio facta est, incolæ strumis & scrophulis colli quondam notati utplurimum erant, sed ex quo ab usu aquæ certorum quorundam rivulorum, ex metalliferis montibus, abstinuerunt, non adeo frequentes ac quondam eas experiuntur. Hanc aquam cum subjecit Præses examini, limpidam & claram, saporis & odoris fere nullius deprehendit, ex decoctione & evaporatione vero pinguis, & flavescens ex nigricante limus est relictus, acrem constringentemque linguæ imprimens saporem.

J725
A239t